PROSPERITATIS GERMANIÆ
PARS TERTIA,

In quâ Salpetræ ex variis ubiq; obviis ſubjectis facillimè atque copioſè extrahendi modus traditur; Ejuſvè Utilitates ſummæ declarantur

Cum

Explicatione ſuccinctâ Prophetiæ Paracelſi, quo pacto ſcilicet Leo ſeptentrionalis Monarchiam politicam inſtiturus; Ipſe Paracelſus in ſepulchro ſuo haud manſurus; Ingenſque theſauri vis ſe ſit exhibitura.

Qualis item ille Elias Artiſta, quem Paracelſus aliique ultimis diebus venturum, plurimaque arcana patefacturum prædixerunt.

In Patriæ, totiuſque humani generis, commodum, candelæ ardentis inſtar, candelabro impoſita, & germanico idiomate in lucem edita

à

JOHANNE RUDOLPHO GLAUBERO.

Iam primò Latinitate donata.

AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JANSSONIUM,
CIↃ IↃC LIX.

AD

LECTOREM.

Benevole Lector,

QVamvis plurimæ me moverint cauſæ, quare Tertiam hanc, ſequentemq; Quartam Proſperitatis Germanicæ partem, quod multa à perfido Farnero mihi illata incommoda, quibus nemo ſeſe hactenus oppoſuit, quin omnes connivere, adeoque quiſvis talem perfidiam impunitam reliquit, publicis typis non ederem, verùm Germaniam ingratiſſimam Germaniam eſſe ſinerem; impulit me tamen amor in proximos, quos inter multi honeſti probique inveniuntur, qui pro pane quotidiano moleſtam agunt vitam; his facem præbere volui, quò in poſterum melius ſibi proſpicere & faciliori negotio ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria acquirere poſſint: ita tamen ut manus

admoveatur operi, haud laborantibus enim Dii nil vendunt, verum omnia bona aſſiduo ſtudio & labore quæruntur & reperiuntur.

Licet autem omnia illa quæ libello hocce pertractantur vera ſint, adeoque experientiâ confirmata, ita ut quilibet ea facillime intellectu percipere & imitari queat, certus tamen ſum, quod plurimi ex ignorantiâ illa paſſim capere & ad uſum applicare non valeant; quoniam maxima mortalium pars otio nimis addicta eſt, & corporis ſui membra plerumque movere recuſat, verum deambulationes & diſcurſus de artibus inter pocula mavult. Tali hominum generi, inquam, hæc mea minime proſunt: hiſce enim primò addiſcendum advenit, quo pacto inſtrumenta arripienda, & Operationes rite & modo convenienti inſtitui debeant.

Plurimi dantur, qui, ſi quandoque ſcripta Chymica legant, aut utilitatem eorum ab aliis prædicari audiant, confeſtim tali inflammentur amore, ut ſeſe totos Chymiæ tradere velint ſpe otiando diteſcendi. Cum ſibi jam quid propoſuere & ſi faciendum, & forte fortunâ favilla quædam in manum agite-

tur.

tur, aut alio quovis obſtaculo opus non ſtatim ex voto ſuccedat, forcipem, crucibulaque in terram projiciunt, & authorem deteſtantur, qua haud ſatis clarè ſcripſerit, eò quod non illico multa auri pondera extrahantur.

Tales ſibi minime perſuadeant, ſe ex hiſce meis ſcriptis aliquam eruditionem ſibi conciliaturos; nam ſcripta mea vindicant ſibi homines diligentes, quorum animum nullum unquam ſubit laboris tædium, non pigros & laboris impatientes. Studioſis autem & imprimis filiis à Deo adoptatis omnia hæc clara, perſpicua & imitatu facilia arridebunt.

Quandoquidem itaque in primâ, ſecundaque Proſperitatis Germanicæ parte plurima de confectione uſuque Nitri dixerim, jam in nomine Dei pergo, & hac in parte Tertiâ edoceo, quo haud difficili pacto nitrum varie confici, ac à Magnatibus æque ac plebejis ſummo cum fructu & commodo uſurpari queat, ita ut nullus in toto hoc univerſo reperiatur qui non magnam, ſi ipſe volet, inde ſentiat utilitatem.

Omnipotens Deus omnis boni author

& dator, largiatur nobis, ut donis ſuis ita uti fruique poſſimus, ut omnia in ſanctiſſimi nominis ſui honorem noſtrûmque omnium ſalutem vergant. Amen.

PRO-

PROSPERITATIS GERMANIÆ PARS TERTIA.

De Præparatione Salis Petræ.

PRoſperitatis Germaniæ Parte primâ modum exhibui, quo lignum, quod alias in ſylvis ubique maximam partem putredine conſumitur, nullique mortalium utilitatem exhibet, concentrari atque in Nitrum optimum mutari queat. Quod negotium cum preli cujuſdam artificiosè & peculiariter ad id conſtructi ope perfici debeat, ejus etiam deſcriptionem debitam in continuatione Miraculi mundi dedimus. Vaſa autem Circulatoria, per quæ ligni lixivium ab aëre excitatur & exardeſcit, nondum deſcripta ſunt, hoc efficere Parte hâcce tertia nobis propoſuimus. Eſt ergò eorundem figura uſuſque ſequens.

Sint tibi Capſulæ duæ ejuſdem omninò magnitudinis atque capacitatis, ex aſſeribus fabrefactæ, prout Fig. A exhibet; Hæ ad eum collocentur modum, ut ab uno extremorum vas aliquod iiſdem ſupponi poſſit, ad recipiendum ſi neceſ-

ſitas id fieri exigat, lixivium iis infuſum. Repleatur in totum una capſularum fimo equino, gallinaceo, aut columbino, vel etiam foliis arborum, ubi præſtant abietina. Hinc affunde lixivii mox deſcribendi eam quantitatem, quæ ſufficiens ſit ad humectationem fimi aut foliorum capſulâ contentorum, ut emineat aliquo modo. Altero die, ubi omnia penitus madefacta credis, per epiſthomium abſtrahe lixivium id infunde materiâ ſimili repletæ capſulæ alteræ, priori è regione oppoſitæ. ſtent hæc ſic madefacta per aliquot dies, interea materia capſulâ primâ contenta incaleſcet, humoreque inutili ex lixivio copioſiſſime in vapores reſoluto, magis magiſque indies vires aſſumet. Calorem hujus capſulæ ejuſque inſequentem evaporationem quamdiu obſervas tamdiu in eo ſtatu relinquenda eſt; quo ſic lixivium affuſum vi ſua ſummâ fimum, vel aliâ capſulâ contentas ſpecies conſumere, ſolvere, atque in aquam mutare queat. Hoc tamen hîc notandum occurrit, in locum ejus quod jam in liquorem converſum eſt, ſemper novam materiam reponendam eſſe; ſic ut capſula ſemper omni modo plena ſervetur. Ubi jam materialia capſulæ primæ impoſita frigeſieri incipiunt, lixivium capſulâ ſecundâ jam contentum, primæ capſulæ adhuc calentibus materialibus affundi debet, quo etiam exinde ſenſim calorem iterum contrahat, adeoque materialia

ea ſolvat. Hæc dum primâ capſulâ ita detinentur, materialia ſecundæ capſulæ ſibi invicem impoſita calefiunt,& phlegma inutile evaporat; quamdiu & hæc capſula fumum de ſe emittit, lixivium ex capſulâ primâ ei infundi non debet, ſed omnia ut comburantur in ſe relinquenda; verùm cum eadem frigefieri reprehendis, tunc lixivium à materialibus primæ capſulæ abſtrahendum eſt, iiſque, quæ in capſula ſecunda ſunt, affundendum, quo ſic primæ capſulæ contenta iterum calefiant, comburantur, atque in liquorem mutentur. Hæc lixivii repetita affuſio quo ſæpius atque diutius inſtituitur, eò magis citiuſque materialia conſumuntur, ex quibus conſumptis poſtea Salpetræ præſtantiſſimum confici poteſt, calor enim efficit, ut ſpecies putreſcant. Tandem quo ad probationem pervenias, Recipe lixivii hujus aliquantulum, eoque ad debitam pro Cryſtallizatione quantitatem, hinc repone loco frigidiore, ad cryſtallizationem, ſal quod reperis exſicca, exſiccati aliquid prunæ impone, quod ſi flagrare obſervas, indicium tibi præbetur, omne omninò lixivium abſtrahendi colligendique tempus eſſe, quo ex eo evaporatione, coagulationeque debita Salpetræ conficiatur. Secus verò ſi contigerit, ſaliſque nulla deflagratio notetur, lixivium diutius in calidis capſulis ex aëre qui ob calorem magneticè attrahitur, animari atque incendi debet. Hoc labore ritè inſtituto

decem aut duodecim menſium ſpatio ex dictis ſpeciebus ope lixivii convenientis, optimum parari poteſt Salpetræ, ſine ullis ſumptibus, niſi quos exigit lixivium parvi momenti. Nec adeò gravis labor iſte eſt, cum nihil requiratur præter id quod lixivium ex unâ capſulâ in aliam aliquoties transfundatur. NB. Adhuc quidem aliæ ſe offerunt ſpecies, præter ſuperius nominatas, ex quibus ope capſularum, atque lixivii debiti, longè citius, copioſiuſque Salpetræ parari poteſt, at omnia divulgare neceſſe non duco. Lixivium etiam conveniens, alio modo, formâ ſiccâ ſcil. ſine putrefactione, qualis in capſulis perficitur, Salpetræ citius parandi medium, effici poteſt, veruntamen & hoc artificium amicis aliquantisper reſervandum. Præter hæc adhuc ſecretiore brevioreque methodo, ex lixivio ejuſmodi, trium horarum ſpatio, Salpetræ extrahi poteſt optimum, cum fructu maximo; quem etiam Salpetræ parandi modum reliquis omnibus præfero, omniumque præſtantiſſimum inveni. Lixivium hoc modo fit. Effice tibi lixivium forte ex Cineribus ligni, & cum lignum inutile in ſylvis in cineres comburis, unâ opera lapides calcis murariæ in calcem igne redige, hanc calcem dein aquâ reſtingue, ut fatiſcat in pulverem, ei affunde lixivii ligni modò dicti quantum ſufficit, ſpatulaque ligneâ miſce, diebus inſequentibus ſæpiſſimè mixtionem atque agitationem repetendo, quo adeò lixi-

lixivium ex calce fortius efficiatur, inſtar ignis, vim habens excellentem vegetabilia atque animalia putrefaciendi atque in Salpetræ ardens commutandi.

Modus alius ex Calce & Lixivio ligni Salpetræ optimum magnâ copia parandi.

℞. Calcis prædictæ & *Cinerum ligni* ana q. v. *Fimi equini* vel *vaccini* duplum ſpecies has miſce exactè in vaſe ligneo, aut mactrâ, cum urinâ humanâ, aut animalis cujuſdam, ad eam conſiſtentiam, cujus eſt calx quâ utuntur fabri murarii, maximè ea quæ craſſior eſt, ut fiat maſſa. Hujus quantitas ſatis magna parari debet. Hinc ex aſſeribus conficiatur arcus quidam, qui habeat latitudinem atque profunditatem ſeu altitudinem præter propter 3. 4. 6 aut plurium pedum, longitudinem verò duplam, pro loci conditione, & quantitate parandi ſalispetræ. Arcus ſic confectus mixturâ præſcriptâ omni loco ad craſſitiem manus tranſverſæ incruſtetur, ſimili modo ac videmus fornices ex lapidibus & Calce ſupra arcus ligneos conſtrui. Omnibus jam debitâ ratione conſtitutis, ſub fornice arcui impoſito ignis collocetur, primò admodum lenis, ne arcus, utpotè fundamentum & ſuſtentaculum fornicis, illicô accendatur, ac comburatur, ſed

ut

ut potius integrè conſervetur,uſq;dum fornix ſeu integumentum ejus, ex calce, cinere atque fimo conſtructum, perfectè exſiccatum fuerit. Hoc facto prædictæ calcis præparatæ, de novo ad craſſitiem manus tranſverſæ, priori fornici inungenda eſt, & obſervabis humiditatem hujus poſterioris maſſæ ſeu fornicis ſecundæ, à primâ brevi attrahi, ipſumque hoc ſecundum inſterniculum exſiccari. Etiam hoc peracto, ex materiâ præparatâ tertiò fieri debet inunctio ad modum præſcriptum. Atq; hæc tamdiu & ſæpè repetenda eſt operatio, uſque dum fornix craſſitiem pedis unius aut duplicis acquiſiverit, quam ubi habet, validus ſatis eſt, nec ſuſtentamento ſuo ligneo amplius indiget, cui propterea jam ignis admoveri poteſt, quo comburatur. Atque ita paratum habes fornicem ad confectionem Salispetræ in copia inſtrumentũ accommodatiſſimum. Quod ſi occaſio, locique conditio permiſerit, tres quatuorvè ad modum dictum conſtruere fornices, minoris licet amplitudinis atq; capacitatis, ſibi invicem adſitos præſtat, operationi enim magis conveniunt, ut quivis practicantium hoc facillimè colligere habebit.

Præſtat etiam Cameram hanc, quam fornicem diximus, exſtruere longam atque anguſtam, quàm brevem & amplam, eò quod ignis longæ ejuſmodi cameræ, uni parti ſuppoſitus calorem ſuum optimè diffundat ad omnia loca, adeòque continuo cameram calidam ſervet. Ca-

Cameræ huic omnimodo exſiccatæ *Vrina* hominis aut animalis iterum affundenda eſt, quo novam humiditatem exindè contrahat, quod facilè obſervamus fieri, cùm conſtructam eam ſciamus ex fimo equino aut vaccino, neutiquam ex calce ſolâ, utpotè quæ humiditatem promptè adeo & facile non recipit, quam quidem ſi admixtum ſibi habeat fimum; madefacta camera vi ignis ſuppoſiti, qui pro augmento ipſius cameræ reſpectu craſſitiei, parum etiam augeri poteſt, ad ſiccitatem reduci debet. NB. Benè attendendum eſt, ne ignis ſuppoſitus nimium augeatur, & ſic cameræ ipſi adferatur damnum; Quin ſemper tantæ ſit quantitatis, quæ ſufficit ad id ut camera ſenſim exſiccetur; ſecus enim fimus aduretur, & jam generatum Salpetræ corrumperetur, cum ignis Salipetræ facillimè damnum conciliare queat.

Poſtquam verò fornices dictos urinâ ſic ſæpiùs humectaverimus, & nil amplius ex eâ ipſos attrahere, utpotè Sale urinæ jam repletos, notaverimus, quod circiter 4 aut 6 ſeptimanarum ſpatio perfici poteſt, variis locis particula ex fornice, inſtrumento ferreo auferenda eſt, eaque pulveriſanda, aquâ pro lixivio ſolvenda, filtranda, evaporatione debita factâ cryſtallizanda, exſiccandaque eſt, exſiccata materia ſalſa igni imponenda, quo conſtet an concipiat flammam nec ne. Hanc ſi quidem obſervaverimus, adin-

ſtat in Salepetræ, totum fornicem demoliri debemus, atque in pulverem tenuiſſimum, molæ cujuſdam ope, redigere, pulveri affundenda aqua calida quo lixivium ex eo extrahatur, hoc evaporatione convenienti imminutum, loco frigido ad criſtalliſandum reponendum; quod coctionis atque criſtalliſationis artificium in fine operis hujus, figuris appropriatis declarabitur. Quod ſi verò flammam necdum concipere ex particulis illis fornicis extractum Sal viderimus, indicium nobis ſit, ab aëre illud ſufficienter nondum animatum eſſe. Aër etenim vitam dat, quam ignis fortiter attrahit, ſic ut ope ignis aër & vita, undè ſal animatum & flagrans efficitur alliciantur. Ignis itaque hîc iterum adminiſtrandus venit, fornixque aquâ pluviali continuò humidus reddendus; ubi præſtat, ſi haberi queat, aqua pluvialis illa, quæ venti ſeptentrionalis ope decidit, licet & aqua pluviali deficiente alterius conditionis aqua in ejus locum ſubſtitui queat, Affuſio hæc aquæ tamdiu continuanda eſt, ſemper permittendo ut fornix ritè exſiccatus ſit, antequam nova aqua conſpergatur, uſque dum Sal in fornice hærens beneficio ignis atque aëris ſatis animatum, flagranſque, ubi probationem methodo dicta inſtitueris, deprehenſum fuerit.

Hæc via eſt compendioſa Salpetræ bonum ſatis in copia conficiendi, ſolummodo per Calcem, cineres ligni, atque urinam hominis aut ani-

animalium. Ubi ritè proceſſeris, breviſſimo tempore magnam Saliſpetræ copiam, exiguo ſumptu, laboreque ferè nullo comparare tibi poteris. Calx cinereſque undè Salpetræ extractum eſt denuò cum novâ càlce, cineribuſque novis miſceri poſſunt, atque exinde fornices alii confici, quibus ſimiliter ac antea docuimus urina continuò affundenda, quo ignis aërisque operâ in Salpetræ animentur. Quod ſi verò ſemper in promptu ſint calx cinereſque recentes, præſtat fornices, in locum deſtructorum, ex iis de novo conſtruere, eos autem ex quibus Sal jam extractum eſt, ſolo macro maximè humidiori committere, quo ipſi ſit loco fimenti, cum impoſſibile ſit omnem omninò ſalem adeò ſeparare, ut nihil ejus reliquum maneat.

Hoc omnibus commune facio, amicis verò reſervo, quâ ratione ope aliarum aquarum, quæ nihili conſtant, & omni loco haberi queant, breviori adhuc tempore, ex fornicibus dictis parari poſſit, major longè copia ſaliſpetræ, quam urinæ humanæ aut animalis beneficio. Etiam aquæ quædam ſunt quas octo dierum ſpatio in Salpetræ ardens coagulari obſervavimus, quod ſanè ſecretum omni mundi parte, quæ quidem hominibus gaudet, ſummo cum fructu ad praxin dirigi poteſt.

Præter dicta & plurima alia ſe offerunt ſubjecta, omnibus obvia, ex quibus fornices parari poſ-

poſſunt, plus Saliſpetræ exhibentes quam prædicti, ſed ſufficient tradita. Hic etiam prætermittere nequeo, quin ſignificem, ſubjecta nonnulla reperiri, quæ ſine præſcriptis fornicibus, in quibus tamen ſecreta plurima adhuc latent, utilitatem ſummam adferentia, huc minus ſpectantia, trium horarum ſpatio in Salpetræ optimum mutari queant, qui labor itidem amicis reſervatur; & ſi divulgaretur nil niſi damnum inferret, præſtat itaque tacuiſſe. Plura in ſequentibus ubi de Monarchis ſeptentrionalibus tradetur.

Sequitur adhuc alius modus, ſine vegetabilibus atque animalibus, Salpetræ ex Petris, atque Lapidibus in copiâ extrahendi.

QUo itaque ſufficienter conſtet atque ego veritati convenire probem, Salpetræ Sal eſſe aut ſubjectum univerſale, adeoque in omnibus omninò rebus quæ quidem mundus poſſidet contineri, conſultum judico, probationes aliquot ad id accommodatas hîc apponere.

Parte primâ Proſperitatis Germaniæ jam ſatis ſuperque demonſtratum eſt, ex omnibus quæ mundus habet Salpetræ bonum extrahi arte poſſe. Quâ methodo autem hoc fieri queat & debeat patefactum minime eſt. Hanc ergò quandoquidem omnes maximè experant, primo omnium

omnium prela ad extractionem Saliſpetræ ex ligno requiſita deſcribere mihi propoſui, quo ſic omnibus pateat, naturæ conveniens eſſe, facillimoque negotio fieri poſſe, ut ex quovis ligno exprimatur ſuccus, qui per aërem in Salpetræ bonum mutetur. Vaſa autem circulatoria nondum communicare, quin potius amicis aliquantiſper ſervare volui, quæ tamen in hâc tertiâ parte appoſita ſunt.

Similiter nec conſultum mihi fuit transformationem animalium, multò minus mineralium in Salpetræ, inimicis revelare. Nihilo minus manuductione meâ tantum effeci, ut quivis ſapientum ſufficienter intelligere valeat, quæ exhibui, & aliquomodo aperui, factu eſſe poſſibilia. Modum autem eadem efficiendi apertè adeò non tradidi, ne occaſionem præriperem etiam aliis ingenium ſuum in excogitando eo excolendi: alias nulli prohibitum eſt, informationem pleniorem ex iis qui rerum harum gnari ſunt, petere.

Quandoquidem ergò Salpetræ ex lapidibus extrahendi modus imperitis hujus artis omnium maximè impoſſibilis cenſetur; eundem in gratiam atque utilitatem poſterorum deſcribere conſtitui; Hujus artificium plus in dignotione lapidum, quam extractione Salispetræ ex iis conſiſtit. Extractio enim non alia ratione perficitur, quam confectio lixivii ex terrâ communi nitroſa, quâ

de re prolixè ſcripſit Lazarus Ercker. Dignotio autem lapidum eorumque præparatio, quo nitrum aquæ communicent, præcipuum eſt, & abſque ea nihil omninò effici poteſt in hac operatione.

Principiò omnium neceſſe eſt ut ſciat philochymicus varios reperire lapides, Salpetræ exhibentes, omnes nempè eos ex quibus communiter vi ignis calcinatis calx conficitur ad ædificia exſtruenda. In hujuſmodi etenim lapidibus plurimum Saliſpetræ deliteſcit, quod ope aquæ communis nullo modo, nullaque methodo exinde educi poteſt. At verò ubi violento igne iidem uruntur, ſal exhibent calidum, beneficio aquæ communis extrahendum, quod quidem ſal; Salpetræ non eſt, facillimè autem per aërem in Salpetræ mutari poteſt, ſimiliter ut antea antequam lapis combuſtus, Salpetræ fuit, & primò per uſtionem naturam aliam adeptus.

Veritas hujus rei, in omnibus ſcil. lapidibus, qui in calcem comburi poſſunt, naturale Salpetræ reſidere, ſeq. modo probari poteſt.

℞. Lapides hujuſmodi ex quo parari poteſt calx ʒß aut ℥j. pulveriſa tenuiſſimè, affunde Aquæ fortis optimæ tantundem, collocatur vitrum in quo materia hæc continetur loco calido ſupra cineres aut arenam quo ſolvatur lapis ab aqua forti. Poſtquam circiter per quadrantem horæ ita ſtetit, vitrum ab arenâ aut cineribus aufer, licet lapis in totum ſolutus nondum ſit, & affunde gutta-

guttatim lixivium ligni, uſque dum ebullitio lixivii ſupra lapidem ſolutum affuſi ceſſet, atque ſtrepitu ſedato ex iis commixtis, nempè ex lapide ſoluto & lixivio Sal aliquod productum videris. Huic Sali affunde Aquam communem eâ quantitate quæ ad ſolutionē Salis loco calido inſtituendam ſufficit, ſolutione factâ liquor filtretur aut per linteum tenue coletur, quo lapis nondum ſolutus, fæceſque in filtro aut linteo maneant, liquor filtratus evaporatione in vaſculo æneo coaguletur in Sal, cujus pondus indagandum eſt. Ut autem exactè nobis conſtet, quantum Salispetræ in dimidiâ illâ unciâ lapidis fuerit ulterius hoc modo procedendum eſt.

℞. Aquam fortem eâdem quantitate, quâ modò uſus es ad ſolutionem lapidis calcis, eique affunde lixivium ſimiliter quantitate eadem, qua uſus ad præcipitationem lapidis ſoluti, & fiet præcipitatio; præcipitatum coaguletur in ſubſtantiam Salis, & hujus Salis quantitas etiā exploretur pondere; quantum jam obſervatur pondere minus adeſſe in hoc Sale quàm in primo cui lapis calcis adeſt, tantum Salispetræ fuit in illâ unciâ dimidiâ lapidis calcis. Probatio hæc certiſſima eſt, & facillimè hâc ratione expiſcari poſſumus: quot libræ Salispetræ contineantur centenario lapidis. NB. Quo probatio accuratiſſima ſit, centenario minore uti tenemur, utpote ad examen mitallorum magis accommodato, & uſuali.

Et quamvis ad hujuſmodi operationem Aquæ fortis uſus inutilis omninò ſit, ubi copiâ magnâ ſal illud ex lapidibus extrahendum eſt, non tamen de nihilo eſt certum cognoſcere modum probandi quinam lapides maximè Salepetræ abundent, quo ſiquidem ex iis Salpetræ extrahendi animus ſit, eos aſſumamus, quibus id copiosè ineſt.

Hos præter lapides qui communiter calcem calcinatione exhibent, quo murarii utuntur, & alii reperiuntur, ex quibus calx nulla parari per combuſtionem, & tamen abſque ullâ præviâ calcinatione plurimum Saliſpetræ extrahi poteſt. Hoc opere qui delectatur, antè omnia exactè dignoſcere tenetur lapides ejuſmodi, cum Salpetræ contineri iis nemo facilè ſibi perſuadeat. Nec credo unquam ante hoc tempus in uſu fuiſſe Salpetræ ex hujus generis lapidibus extrahendi modum. Nullus an fuerit, qui ſciverit in iis Sal dictum contineri, an verò nullius conſiderationis eum eſſe judicârint, ignoro. Hoc tamen mihi ſatis conſtat, nunquam eum Salpetræ ex iis extrahendi modum in Germaniâ obſervatum, uſitatumque eſſe, cum tamen maxima ejus copia iis inhæreat, facili methodo extrahenda modò eam cognitam habeamus.

Quandoquidem ergò talium lapidum omnibus locis magna ſatis copia haberi, Sal etiam petræ facilius ex iis quam ex ligno parari queat, inter-

intermittere haud potui, quin in Patriæ commodum artificium hoc aperiam, atque hoc loco dilucidè exponam.

Itaque quod ſpectat lapides, quorum hîc mentio fit, adeò copioſus, eorum plurimis in locis proventus eſt, ut integros etiam conſtituant montes, ſubſtantia ſimiles ſunt molli teneroque calculo, colore albicantes, cinericei aut ſubrubicundi, facileque comminui, ac in omnis generis particulas figuraſque formari poſſunt, undè in conſtruendis ædibus frequens eorundem uſus eſt, ad varia exindè conficienda, ſivè ædium angulos ſpectemus, ſivè januas, feneſtras, gradus, ſivè alia ornamenta externa. Quamdiu adhuc monti inhærent, nec aëri expoſiti, duritiem ſatis conſiderabilem habent, eandemque ſemper retinent, ubi ad ædificia uſurpati iis locis conſtituuntur, quæ aut omnimodo ac tempore ſicca ſunt, aut etiam è contrà humida. At verò ſi ea modò ſicca modò iterum humida fuerint, aërique ſemper obvia, facilè mollitiem contrahunt, ſinguliſque annis portiuncula dorſi cultri craſſitiem ferè habens, farinæ inſtar, ſeparatur, ſic ut quotannis imminuantur, adeoque ad ædificia conſtruenda ſtabilia minimè idonea ſint. Lapicidæ hujuſmodi lapides facillimo negotio ab aliis diſcernere norunt, nec libenter eos uſurpant, ubi aliorum copia datur. In his ſimiliter ac in lapidibus qui calcem conſtituunt, probatio-

nem inſtituere velle ſupra traditam ad cognoſcendam Salispetræ etiam in iis contenti quantitatem, neutiquam procedit; eò quod inter calcinandum Salpetræ volatile fiat, & maximam partem in auras abeat. Multò minus ex crudis & non calcinatis aquâ extrahere licet, tales enim nil omninò Salispetræ exhibent niſi circiter per anni dimidii ſpatium ad aërem humidiorem collocati fuerint, quo ex ſeipſo in partes abeant; tali enim modo conſtituti aquæ affuſæ facillimè ſalſedinem ſuam impertiunt, adeoque copiosè Salpetræ exhibent. Hujus rei & hoc indicium eſt certiſſimum: Quod nempè, ſi tales lapides loco aliquo ſicciore delitescant, ad quem pluvia pervenire nequit, noſque eos ſæpiſſimè aqua communi conſpergamus, in pulverem ſeu pollinem mutentur. Secus ſi eveniat, parum admodum Salispetræ in iis reperiri ſignificatur, adeoque labor fruſtraneus pronunciatur. Qui verò 6 aut 8 menſium ſpatio molleſcunt atque collabaſcunt, maximos promittunt laboris fructus, copiam ſcil. ingentem Salis optati. Centenarius hujuſmodi lapidum collapſorum facilè ℔x Salispetræ dabit, plus minuſve pro conditione lapidis. Extractio lixivii peragitur aqua communi, ſimili modo quo aliàs ex terrâ eâ quæ in ſtabulis animalium effoditur, lixivium extrahitur. Qui Salpetræ extrahendi, coagulandi, atque perficiendi modus clarè atque perfectè ſatis deſcriptus

eſt

eſt à *Laſaro Ercker*, quondam cæſareo metallicorum præfecto, ſuæ artis experientiſſimo libro ſuo de Probatione metallorum, ſic ut dilucidè magis eum exhibere difficillimum omninò æſtimem, eò itaque lectorem benevolum ablegabo.

Cum autem non omnium conditio permittat, ingentis ejuſmodi molis librum ſibi comparare, ad id unicè ut modum extrahendi evaporandique Salpetræ ex eo cognoſcat, conſultum judicavi, quæ præſcriptus Laſarus Ercker circa hanc rem tradidit, in gratiam chymiæ ſtudioſorum hîc apponere. Quæ enim ab aliis jam benè tradita ſunt, abjicere nunquam conſtitui, ſolum quæ mea ſunt, iis addo; ſimiliter & alii faciant, alicujus novitatis authores, quo ſic ad proximum, cujus causâ, ut nempè eâ inſervire ipſi queamus, ſcientiam nobis Deus opt. max. variam largitus, utilitas indè redundet.

Ut autem notitiam certam acquiramus, lapides dictos diſtinguendi, neceſſarium omninò exiſtimo prolixius de iis agere.

Licet ergò hujus generis lapides ubique in mundo copioſè reperiantur, neutique tamen dignoſcuntur, eò quod perſuadere nobis nequeamus, vel minimum Saliſpetræ iis contineri. Nam etiamſi lapidis hujuſmodi ℔c continerentur Saliſpetræ ℔x, & nos eum in quam ſubtiliſſimum redigeremus pulverem, lixiviumque aquâ

frigidâ aut calidâ indè extrahere allaboraremus, hoc tamen modo Salispetræ nequidem ℥j acquireremus. Cauſa eſt, quoniam in lapide tali propriè non reperitur mox ubi è terrâ venit, Salpetræ corporale, quod vi aquæ extrahi poſſit; ſed ſaltem anima quædam aut magnes Salispetræ delitescit, cujus vi illud quod corporeitatem ipſi tribuit, primò ex aëre attrahendum venit, quo ſic Salpetræ exoriatur indè. Quod vel ex eo conſtat, quod aliàs, ſi corporale aliquod Salpetræ in eo lapide ſtatim à principio adfuiſſet, aquæ ope exinde extrahi debuerit, cujus tamen extractionis impoſſibilitatem notamus, niſi lapis ille anteà per aliquod tempus ad aërem poſitus fuerit, & cum mollitie ſimul Salpetræ magnetico modo acquiſierit.

Hanc noſtram rationem, firmiſſimam adeò, imperitis necdum ſatisfacturam ſcimus, niſi eandem verbis aliis exempliſque variis clariorem adhuc iis reddamus, verum enim verò quî fieri poterit, ut inexperto ejuſmodi omnia declaremus; Pulmentum alteri coquere, & ſimul in os ingerere, nimium laboris eſt. Meritò ſufficeret veritatem indicaſſe, modumque exhibuiſſe, quo operatio inſtitui debeat, licet omnia palpabilibus rationibus ſtabilita non forent.

Cum itaque præſens opus, de quo hoc loco mihi ſermo eſt, omnimodo novum quid, nec ulli mortalium notum, neceſſitas rei exigit aliquanto

aper-

apertius & dilucidius totum negotium exhibere. Omnibus rebus ſuam ineſſe magnetem, cujus beneficio ex aëre terrâve illud quod utile ipſis eſt attrahant, jam ut notiſſimum præſupponimus, maximè cum & in operibus noſtris fuſè de eo egerimus, ſic ut omninò ſupervacaneum judicemus, eadem repetere. Hoc tamen addam requiritur, mineralia nempè præ aliis rebus vi quâdam magneticâ pollere ſuamque vitam, figuram, eſſentiamque, ad ſimilitudinem animalium ex aëre allicere, ut eò nutriantur, atque augmentum ſuum capiant, eò verò deſtituta quaſi mortua, ligata, aut omninò viribus expertia obſervari. exempli gratia. Effodiatur minera vitrioli aut aluminis è terrâ; in hâc ſi vitriolum aut alumen debite jam excoctum ac maturum ſit, illicò ex eâ per aquam communem Sal extrahi poteſt, & ſic vitriolum aut alumen exinde coctione effici; ſi verò nondum debitam maturitatem adepta ſint, nullum inde Sal extrahitur, niſi prius minera igniatur aut torrefiat. Imò adhuc immaturior minera nec vi ignis nec citra ignem Sal exhibebit, ſed ad aërem ulterius per aliquod tempus collocanda, quo illud quod ad id ut exindè conficiatur alumen vel vitriolum requiritur, ex eò prius alliciant, & ſic hiſce præmiſſis facillime ex eâ per extractionem & evaporationem convenientem alumen aut vitriolũ ducitur.

Furnorum Philoſophicorum parte ſecunda, mentio-

mentionem fecimus mineræ cujuſdam vitrioli, quæ in Haſſiâ Herckerodæ copiosè reperitur, illi terræ inhærens, unde tigilla ſeu crucibula magno numero illic loci efficiunt; dedimuſque modum oleum vitrioli rubicundum dulceque ex eâ parandi, hâc tamen admonitione additâ, ne vel minimum nos ex minerâ dictâ olei hujus accepturos eſſe, ſi non prius eam in particulas diffractam aëri frigido per ſemiannum expoſuerimus, quo in eo in pulverem fatiſcat. Hanc qui obſervarunt oleum ex eâ confecerunt dulciſſimum; Qui vero neglexerunt eam candido ex pectore prolatam, mineram dictam in pulverem redegerunt ſubtilem, coctura que in aquâ ſimplici Sal inde extrahere allaborarunt, at fruſtraneus eorundem labor fuit, eò quod mineram eam aëri aliquantiſper exponere detractârint, & ne granum quidem vitrioli acceperunt; undè occaſionem ſibi arripuêre conviitiis ſuis me dilacerandi, falſitatiſque accuſandi. At verò abjectam ſuam mineram, quod aëri expoſita, ex eo vi ſuâ magneticâ Sal attraxerit, ubi à ſeipſo fatiſcere, ex eâque vitriolum provenire, oculis manibuſque obſervârunt, credere coacti ſunt, etiam antea vitriolum aliquod in ipſis delituiſſe, quod tamen vi aquæ extrahi non potuerit; & ſic quod primò reprehenderant, veritati convenire publicè poſtea confeſſi ſunt.

Sic & Æs varium datur attrahendi vi præditum,

unde

unde fuſione ubi ex terrâ primum extractum eſt, metallum nullum ſeparari poteſt, niſi prius ad aliquot menſes aëri expoſuerimus.

Quælibet terra nitroſa, ex quo Salpetræ jam ſemel extractum eſt, ubi aëri iterum exponitur, denovo Salpetræ attrahit, quod etiam in quovis cinere ligni evenire notamus, omnium verò maximè in lapide calcis calcinato, qui plus ſalis ex aëre attrahere valet, quam ipſe antequam calcinaretur, ponderis habere obſervabatur. Primâ enim vice ex Centenario Salis vix ℔ij. aut iij. extrahere licet, quo verò poſteà diutius aëri exponitur, eò etiam copioſius de ſe ſal exhibet, ut ſatis jam cognitum eſt. Qui quod diximus ignorat, aut etiam percipere non valet, experiatur, & vera eſſe quæ attulimus reprehendet. Monitiones ejuſmodi noſtras efflagitarunt idiotæ, quo ſic re melius intellectâ occaſionem ipſis præripiamus ex ignorantiâ ſcripta noſtra calamo mordaci divellendi.

Iterum dico, modò lapides de quibus hîc agitur cognoſcantur, licet per aquam ſimplicem lixivium extrahendo, nihil omninò ſalis, principio exhibeant, nihil in eo difficultatis eſſe, nec ullo modo id nos curare debere, ſed ſaltem ad debitum tempus in aëre reliquendos eos eſſe, & hâc ratione Salpetræ copioſè ſatis & attrahent & per extractionem convenientem nobis exhibebunt. Antiquiores Salpetræ præcipue ex lapidi-

bus

bus extraxêrunt; qui modus extractionis in totum jam abolitus eſt; Europæi enim ferè omnes Salpetræ nunc extrahunt ex terrâ cui jumenta inſiſtunt in ſtabulis, aut alterius ſpeciei animalia, cum tamen ipſum nomen Salispetræ indicet, ex quâ materia primum producta fuerit, ex petris nempè atque lapidibus; deſignatur enim Sal ex petris eductum. Imò & hoc tempore in Indiâ Orientali Salpetræ ex petris elicitur, quod inde ad alias terras naves deportant, ſola enim Reſpublica noſtra Amſtelodamenſis quotannis aliquot millia centenariorum Salis ejus accipit, quod ex ſolis petris extractum eſt, ſine ullâ alterius cujuſdam additione. Quæ cauſa ſit, cur ea extrahendi ratio Germanis noſtris ignota ſit, hæreo, ſcientiæ totum negotium commiſſo hactenus in eâ re deficienti.§ Sic ergò declaraſſe nos ſufficienter æſtimamus, quod ex lapidibus Nitrum extrahi revera queat, ut non videamus cur verbis noſtris fidem derogare audeant plurimi. Attamen rationibus ſæpè nihil effici obſervamus, niſi confirmentur iis quæ tactum noſtrum incurrunt. Mundus etenim in quo nos verſamur otioſos ignorantes plurimos alit, paucos verò qui naturæ abdita ſcrutantur atque cognoſcunt. Difficillimũ hinc eſt & periculoſum valdè, cum ejuſmodi ſtultis converſari, multò minus aliquid ſcripto edere, quod non illicò intelligant, judicium etenim immature ferunt

runt de eo cujus ne minimum ipſis conſtat.

Quo autem rei certitudo magis pateat, nec aliquis fabulam eſſe exiſtimet Salpetræ ex lapidibus extrahi poſſe, loca quædam monſtrabimus quibus Salpetræ copioſiſſime in lapidibus reſidet. Et quanquam ejuſmodi loca varia hinc indè ſe offerant, ubi lapides Salpetræ continent, nos iis tantum id verum eſſe demonſtrabimus, quibus habitavimus, impoſſibile etenim nobis expreſſe hunc vel illum montem in hâc vel illâ regione Salispetræ plenum pronunciare, quem nunquam nobis videre obtigit. Omnes terrarum tractus perluſtrare nobis non datum, quæ verò loca acceſſimus, pauca iis intacta reliquimus, quorum naturam penitius non examinaverimus. Exempli ergò loco, partem tantum aliquam patriæ noſtræ arripiemus, lapides eos qui in eâ reperiuntur Salispetræ participes omnibus exhibituri, poterit quivis rerum harum ſtudioſus aliis locis idem agere, ſeduloque in eos inquirere, & obſervabit ferè omnes montes iis repleri, & tamen nullis, vel ſaltem pauciſſimis id notum eſſe.

In Franciâ & quidem Kitzingæ ubi antequam Belgium acceſſi, habitavi, ſæpius ſereno cælo in campum me contuli, mineralia inveſtigandi animo, & quanquam varii rerum ignari nil omninò mineralium in Franciâ reperiri, nec unquam venas auri aut alterius metalli inventas eſ-

ſe

ſe referant, eò quod incolæ omnes uberiore proventu vini frumentique contenti vivant, nec theſauros alios ut inveniant, allaborent, (nulla enim regio eſt totius Germaniæ, in quâ abundantius, meliorisque notæ colligitur vinum quam in dictâ Franciâ, quæ vini collectio fodinarum vice Francis habetur, ſatis ipſis exhibens quod agant) nihilominus tamen, cum ſemper mihi animus fuerit, naturaliſque inclinatio ea quæ inter miranda nobis ſe offerunt Dei opt. maximi opera, intime perluſtrandi, intermittere non poſſum, quin ea inviſitem loca, quæ omnibus ad mineralium proventum inidonea, iiſque omni modo privata cenſebantur, exploraturus num quædam ſe mihi offerrent aliis incognita. Nec vana ſpes fuit, longè enim plura reperi, quam cogitabam, quæ etiam loca ſi neceſſitas exigeret indicare poſſem.

Quandoquidem autem hîc ea loca indicare ſolummodò propoſuerim, in quibus Salpetræ copiosè parari queat, reliqua mineralia hoc tempore ſilentio præteribo, ità tamen ut quæ in tranſitu ſe offerunt, alia intacta omnino non relinquam. Præ manibus itaque mihi ſumam partem Rheni, quæ eſt inter Kizingam & Aſchaffenberg, aperiamque quàm breviſſimè (chronicam enim conſcribere inſtitutum meum non eſt) quos, præter vinum frumentumque uberrimè provenientia, Deus opt. max. illis locis conceſſerit theſauros. Kizin-

Kizinga, oppidum eſſe egregium, benequè exſtructum, ad Epiſcopatum Wurſburgenſem pertinens, impoſitum lapidi calcis, quamobrem fundus ſummè fertilis eſt, Vinum frumentumque affatim de ſe promens. Quamprimum verò pontem mœni ſuperavimus atq; tranſgreſſi ſumus, terra arenoſa eſſe incipit, ſilicibus pluribus prædita, qui præter ferrum & auri aliquid continent; extrahendi modus, parte ſecundâ Germaniæ proſperitatis detectus eſt, & hâc parte tertiâ confirmatur.

Ad diſtantiam milliaris, è regione civitatis dictæ, ſitus eſt mons quidam ſublimis admodum arboribus ingentibus ſcatens; In hoc varia ſe offerunt caſtella, quorum præcipuum eſt Coſſellenſe, domus natalitia Dominorum Comitum de Coſſel. Ad montis baſin ejuſdem nominis reſidet pagus, ad dictam arcem pertinens. In hoc plurimi notantur fontes, quorũ plerorumq; aquas ſæpius guſtavi, easque Salipetræ admodum imprægnatas reprehendi, adeò ut etiam animantia earundem uſum omnino averſentur, multò minus homines eas ad coctionem ciborum adhibere queant. Aliqui tamen eorum aquam dulcem exhibent ad uſus domeſticos accommodatam. Nitroſi hi fontes nullius utilitatis ſunt, nihilque efficiunt, niſi quod molas nonnullas circumagant, via ſingulari pagum percurrentes, antequam mœnum ingrediantur.

Et

Et cùm Præſcripti Comites præcipuam dictorum fontium partem ob copiam Saliſpetræ ſalutarem cognoverint, inſignis capacitatis domum exſtrui curarunt, quo ſic locus daretur commodus iis, qui morbo quodam detenti locum hunc corpus ægrum lavandi cauſâ accederent, cujus generis tempore æſtivo quam plurimi ex remotis ſatis locis eò confluxiſſe obſervati ſunt, quorum etiam varii balneo hocce debitè uſi ſanitati priſtinæ reſtituti.

Alium præter dictum fontium horum nitroſorum uſum, ignorant. Quòd ſi verò beneficio ſucci ligni cujus copia maxima eo loci datur, aquis dictis vires addere noſcerent, mirabilia varia in morborum ſanabilium curatione earum uſu obſervarent.

Inquiſitioni ergò hujus unde maximè aquæ hæ nitroſæ provenirent, intentus, vicinum dicto loco montem ad aliquot milliaria ſe extendentem Salepetræ omnimodo repletum eſſe, idque petris ipſis, ex quibus quicquid eſt montis concrevit, inhærere comperi. Sedulò itaque cujus conditionis lapides illi eſſent quos operarii his in locis effodiebant, inveſtigavi, atque copiâ Salpetræ ingenti iiſdem contineri cognovi, adeò ut quotquot hìc reperiatur montes, eodem quaſi referti viſi, imò ſi lapidum eorum ex quibus ædes pagi Caſſellenſis exſtructæ ſunt, unum atque alterum diffregeris, undique Salepetræ interius

rius ſcatere obſervati fuerint. Locum ipſum ubi lapides iſti effodiuntur etiam inviſi, nihil autem inter effodiendum Salispetræ inveni, eo quod aër nondum vires ſuas in eos exeruiſſet. At verò in iiſdem aliquantiſper aëri expoſitis copiosè Salpetræ notavi, autopſiam qui amat, pagi Coſſellenſis domum aliquam ingrediatur, cujus muri antiquiores ſint, & Salpetræ uberrime ipſis lapidibus ineſſe reperiet, ſimiliter & columnas Balneariorum quotannis imminui, ſic ut laminæ quædam dorſi cultri craſſitiem habentes, ſemper decidant, vi Salispetræ ſegregatæ, uti non rarò ſummâ cum induſtriâ & curiosè admodum obſervavi, ſummi hujus occultique theſauri uſum verum ſi cognitum haberent Comites, plus longè divitiarum ſibi acquirerent ex ſolo illo monte, quam ex integro comitatu. Nullus dubito, quandoquidem hoc loco theſaurum eum detegam, quin ſeſe exhibuerint, qui ulterius eum invenire, ſuoque commodo conſulere allaborabunt.

Haud procul à monte dicto terra tota ferro ſcatet, non quidem venarum ſed renum formâ, ſicut variis diverſæ magnitudinis particulis metallum ferri ſe prodat, aliquibus enim locis nucis avellanæ aut juglandis, aliis verò ovi, pugni, imò etiam capitis magnitudine reperitur, quod ignis vi fluxile redditur, plurimumque ferri exhibet, cujus generis excellentius mihi hactenus nullum

ſeſe obtulit metallum, at nulli notum, cum tamen commodè ad utilitatem hominum præparari poſſit, eò quod aquæ lignique copia ſat magna hoc loco habeatur.

Extendit ſe hic mons ad aliquot milliaria, pro termino habens Iphoviam, ditionemque ac Civitatem Wurtzbergenſem; adeò ut præcipua majorque ejus pars in ipſo Wurtzburgenſi Epiſcopatu locum habeat, undè immenſæ comparandæ divitiæ, modo eſſent, qui operis gnaros, amanteſque ſe præbeant.

Plurimum etiam albicantis, rubicundique Gypſi mons hic præbet, quod vi ignis ad albedinem ſummam redigi poteſt.

Præter hæc & marmor, alabaſtrumque hîc effodi deprehendimus, at quæ parum durabilia, cum aëri aliquamdiu expoſita nitroſa fiant, atque fatiſcant, copioſum Salpetræ exhibitura, modò ritè tractentur, ligni etenim nullus defectus.

Dicto in monte adhuc aliud reperitur caſtellum, cui Swanbergum nomen eſt ad Epiſcopatum Wurtzburgenſem ſpectans, ubi quondam milites virgis militaribus uſi ſunt, ad indagandos inveniendoſque theſauros ipſis uſualibus, num tales occaſione belli combuſto caſtello abſconditi alicubi deliteſcerent exploraturi; quid invenerint, mihi necdum conſtat; hoc tamen ſcio, dictas virgas ubique metallum bonum indicaſ-

dicaſſe. Quæ res occaſionem dedit ſuis locis materiam dictam explicandi. Præter id ad aliquot orgyas nil niſi ejuſmodi lapides nitroſos effodêrunt. Hunc locum ſemel luſtravi, reperique lapides antè aliquot annos è monte hoc extractos omnino friabiles, manifeſto indicio totum montem Salepetræ repletum eſſe. Alius præter hunc ſimilis conditionis mons nitroſus mihi notus non eſt, locis intermediis inter Kitzingam & Wernfeld, (quod milliaris intervallo diſtat à Carlſtadt) qui enim hîc habetur à priori in eo differt, quod lapides, quos exhibet, rubicundioris coloris ſint, nec adeò Salepetræ præditi, quam præcedentis Kitzingenſis, qui & copioſiore Salepetræ gaudent & coloris ſunt magis cinericei.

Ejuſdem generis lapides excidunt etiam ad mœnum propè civitatem Rotenfeldiam, utpote qui Salispetræ tantum non poſſident, quantum quidem illi qui in monte Coſſellenſi ac Swaneburgenſi reperiuntur. Plures quidem tales lapides Francia tenet, variis locis ſe manifeſtantes, at omnes indicare propoſiti mei ratio non permittit, qui eos ſolum monſtrare volui, quos vidi ipſe, & loca mœno vacina miniſtrant. Cui volupe eſt eos tractare, inquirere licet, omnibus terræ regionibus lapides commodos inveniet, quos exindè dignoſcere poſſumus, quod in aëre aliquamdiu detenti molleſcant, & in te-

nuiſſimas laminas ſeparentur, quibus farina rubicunda adhæret digitis abradenda. Quin & indicium infallibile præbent araneæ illæ, quæ corpore præditæ ſunt exiguo, rotundo, pedibuſque promiſſis, abundantèr lapidibus ejuſmodi adhærentes; tales enim araneæ, non veſcuntur herbis, gramine, muſcis, aut aliis inſectis, ſed muris antiquioribus, ac præcipuè omnium lapidibus dictis inſidentes, Salepetræ iis inhærente ſe ſuſtentant; veneni nil poſſident, contra ac araneæ vulgares domeſticæ, quapropter etiam pueri eas colligunt, iiſdemque delectantur summè, calculis mollioribus arenoſis adhærentes Salpetræ iis contineri certiſſimè demonſtrant, eo enim nutriuntur vitamque conſervant, quod notare placuit. Et poſito hujuſmodi lapidum nitroſorum nullos reperiri, non ideò tamen occaſio nobis denegata eſt, Salpetræ ex vulgaribus lapidibus calcis conficiendi, utpotè quorum copia ubique datur, ſi ligni beneficio calcinentur, ſuccoque ligni, nitroſi efficiantur.

Quid dicam de calcinatâ fece Tartari, quæ maximâ copia toto tractu, qui ad mœni fluvium, inter Bambergam & Francofurthum, quotannis colligitur & abjicitur, cum tamen ex eâ aliquot centum centenariorum pondere Salpetræ extrahi poſſit, ſi modò deſideraretur. Quicquid enim in eâ continetur Tartari, id omne Salpetræ eſt, ubi debita ratione cum lixivio calcis decoquitur,

tur, hincque colatura, evaporatione ſufficienti prægreſsâ ad criſtallizandum reponitur, animam etenim magnetico modo attrahit, quæ operatio ſi ritè inſtituatur trium dierum ſpatio Nitrum ardentiſſimum exindè parari poteſt, quæ etiam longè majoris utilitatis, quam maximo labore ope preli inſtituta extractio ipſius Tartari, aut alias (Potaſch) prout facere eos communiter videmur.

Præterea & alii reperiuntur lapides, plurimum, combuſti, Salispetræ tribuentes, quales ſunt Tophi, qui propè Triefelſtein, quod cœnobium eſt ad mœnum ſitum, copiosè colligi poſſunt; & aliis Germaniæ partibus integros montes conſtituunt. Ut adeò materiæ commodæ pro collectione Salispetræ nullibi penuriam eſſe conſtet, modò manum operi admovere haud recuſarent homines. Omnibus hi lapides obvii ſunt; quis quibus theſauris ſylvæ quas minime luſtramus, ſcateant, cognoſcit. Temporis ratio ſi permitteret, varii generis metalla montibus inter Kizingam & Francofurtum ſitis, & præſertim Speshardenſi conſervari, exhibere poſſem; quæ patefacere alius locus commodior permittet.

Sequitur nunc Commemoratio prædicti Lazari-Erckers

De modo coquendi Salpetræ, & quidem primo: Quâ ratione lixivium ex Terra nitroſâ parari debeat.

 Quod

Quod ſi ex ejuſmodi terrâ lixivium conficiendi animus tibi ſit, eam ad illam profunditatem effode quam probatio tua, bonitatẽ ejus aut pravitatem manifeſtans tibi permittit, maximè ubi notabili copiâ id conficere conſtituiſti, locoque ſicciore ſerva. Hinc tibi confici cura cupas ligneas, ejus amplitudinis, ut quælibet earum tantum terræ capiat, quantum circiter decem vehicula truſatilia continere valent; quò adeò pro ratione propoſiti operis, magnitudineque aheni ſufficiens lixivium comparare tibi queas. Communiter enim ad opus ejuſmodi, aheno duorum centenariorum pondus habente, octo cupæ ligneæ requiruntur, hoc ordine collocandæ, ut quovis à latere quatuor habeantur, ſibi invicem è regione oppoſitæ. Eædem à ſui lateris vaſis proximis tantum diſtent, quantum vehiculum truſatile terram adducens requirit, imò dimidiæ ulnæ ſpatium intercedere neceſſe eſt, inter cupas dictas & terram ipſam cui imponuntur. Ipſarum etiam cuparum unaquæque in latere à parte anteriore inferioreque foramine prædita ſit ad embolum admittendum convenienti. Denique & ſupponatur iis vas oblongum inſtar canalis, quod lixivium ex iis recipiat, atque in ſpeciale aliquod vas ſimiliter ligneum, terræ ad illud recipiendum, ex cavatæ impoſitum, tanquam in commune forum perducat.

Cupis omnibus ſic ritè diſpoſitis cujuſlibet fundo

fundo ligneum alium fundum plurimis foraminibus prædium ſuperimpone, ad duorum transverſorum digitorum altitudinem à vero fundo diſtantem Huic adhuc alium impone ex juncis ſeu arundinibus minoribus, quæ ad aggeres copiosè naſcuntur, ad craſſitiem quadrantis ulnæ colligatis conſtructum. Arundinum harum defectu fundo perforato præſcripto ſtraminis conciſi ſpithamæ quantitatem inſperge, ſuperimponendo ſtramini aſſeres tenuiſſimos, ne id diſpergatur. Et præparatæ ſic erunt cupæ. Hinc terræ, quam jam exploraſti & collegiſti, eam quantitatem unicuique earum injice, quantum recipere valet, ità tamen ut ſpithamæ longitudine ſuperiore parte vacua ſit; hoc notato, ſi haberi poſſit cinis vetuſtior coriariorum aut ſaponariorum, ejus quantum vehicula truſatilia duo aut tria capiunt, primò omnium antequam imponitur terra modò dicta, fundo cupæ ſupremo injiciendum eſſe. Terram ipſam ſuperius vimineo tegmine claude, baculo ligneo terræ ipſi affixo. Hoc facto terræ vaſe contentæ aquam communem affunde, ad eminentiam manûs transverſæ, ſic ut ea magis vimina quam terram ipſam tangat, ne inæqualitates contrahat atque excavetur locis variis Stent ita per horas octo, quo tempore elapſo per foramen inferius, extracto embolo, aquam affuſam effluere permitte, quæ quamdiu turbida eſt, ſemper iterum vaſi

infunde, tam ſæpius hoc repetendo uſque dum clara exeat, quam ſerva, vocaturque hæc aqua lixivium debile.

Poſt hæc Terræ eidem, à qua jam ſemel lixivium ſeparatum eſt, aquam communem iterum affunde, quo hoc quod reſiduum eſt lixivii in ipsâ terra, extrahat; cujus uſus nullus eſt, niſi quod loco aquæ ſimplicis terræ novæ affundi queat, plurimum enim ſæpè adhuc Nitri continet, ſic ut ex centenario ejus Salispetræ ℔iij aut 4 quandoque extrahere liceat. Extractione hâc peractâ Terram inutilem ex vaſe aufer, novamque impone; continuaque operationem modo dicto, tam diu & ſæpius eam rei terando donec ſufficientem lixivii copiam acquiſiveris, ne coctionis opus ob defectum lixivii interrumpatur.

Prætereà & ad partem ſuperiorem aheni, in quo peragitur coctio hujus lixivii, vas aliquod ligneum collocandum eſt, ex quo in ahenum tantum lixivii influere queat, quantum per ebullitionem conſumitur quo ſic continuò eadem ebullitionis, quantitatiſque lixivii in aheno ratio ſervetur. Continuanda hoc modo coctio, uſque dum centenarius lixivii ex aheno, juxta explorationem minorem, Nitri ℔ x x v exhibeat, quod duobus diebus unicaque nocte peragi poteſt.

Hoc ſic peracto in promptu adhuc ſint neceſ-
ſe

ſe eſt, cupæ duæ ligneæ, ad modum jam præſcriptum paratæ, fundoque ligneo, præter proprium, perforatō, nec non eò qui ex arundinibus conficitur, inſtructa, hoc ſolum notato, quod ſupremo huic fundo arundinaceo alius adhuc ligneus, perforatus itidem, imponi debeat, cui inſpergatur primò aliquid ſtraminis inciſi, mox cinerum ligni abietis, fagi, aut alterius arboris, quantitas ea imponenda, quæ ad ulnæ longitudinem ſupra ſtramen emineat, aut etiamſi viliori pretio haberi queant, magis, cupas repleat. Non tamen hi cineres, ſimpliciter adeò ſtramini imponendi, ſed antequam hoc fiat, primò inter ſe miſcendi, mox cum lixivio calidiore optimo humectandi veniunt, ut quaſi maſsâ evadat. Cineribus hoc modò præparatis, cupâ contentis, lixivium coctum, ℔ xxv probatum exhibens, quam ferventiſſimum affundendum eſt, quod ſæpius adeò abſtrahendum per foramen inferius, donicum ex turbido clarum reddatur.

Poſtquam ſic lixivium omne utriuſque cupæ cineres tranſiit, (quod eam ob cauſam peragitur, quo omnis illius pinguedo in cineres transferatur, qui etiam propterea ad lavandum fortiores fiunt,) vaſe illud ſingulari ſerva. Hinc cineribus in cupis reſiduis lixivium commune affunde, quod ubi cineres tranſiit, lixivium ſecundum fortius appellatur; poſt hæc tertio affunde

lixivium calidum & quod abſtrahitur lixivium Secundum debilius dicitur. Ultimo omnium cineribus lixivium commune frigidum affundi poteſt, quo omnis omninò vis extrahatur.

Figura appoſita No. 1. tibi exhibebit modum, quo cupæ collocari, lixivium præparari, coctio inſtitui debeat.

A. Cupæ octo ſunt ligneæ, quibus terra imponitur.
B. Canales ſeu ductus per quos aqua in cupas dictas affluit.
C. Canales per quos lixivium defertur in vas ſuppoſitum.
D. Vas in quo colligitur lixivium.
E. Vas exiguum, ex quo lixivium defluit in ahenum.
F. Fornax.
G. Ahenum.
H. Oſtium fornacis per quod aheno ſupponitur lignum.
I. Veſtilabrum inferius fornacis.
K. Figura interna fornacis.
L. Craticula ferrea cui imponitur lignum.

Liquorem ex quo Salpetræ confici queat, per coctionem, parandi Modus.

PRimò omnium lixivium ſecundum debilius infunde aheno, inſtitueque coctionem, hinc li-

lixivium ſecundum fortius fac ſenſim adfluat, & tandem etiam ipſum lixivium primum omnium præcipuum, uſque dum ahenum ferè repletum, & lixivium ad creſcendum aptum ſatis ſit. Ubi jam liquorem coctione fortem ſatis colligis eſſe, ligulam æneam perforatam aliquoties uſque ad fundum aheni immitte, & quod ſi lixivium Sal exhibuerit, ad fundum decidere id obſervabis, quod ligulâ ex fundo depromere potes; Nota, etiam ſpumam, quæ in fine coctionis hujus copiosè colligitur, ſedulò auferendam eſſe. Hinc lixivii aptitudinem ad criſtallizandum explora hoc modo: vel guttas duas treſvè ferro frigido, aut tabulæ ferreæ politæ impone, quæ ſi conſiſtant, hoc eſt, inverſo ferro non diffluant, liquoris ad creſcendum aptitudinem indicant. Vel etiam impone lixivium vaſculo æneo contentum aquæ frigidæ, & videbis, ubi liquor ad cryſtallizandum idoneus ſatis eſt, quam primum lixivium refrigeratum fuerit, Salpetræ copiosè generari. Imò & ligula ipſa liquoris bonitatem denotat, ubi liquori immiſſa & iterum extracta ipſum inſtar olei ſibi adhærentem exhibet. Liquore ſic perfectè parato, ex centenario ejus plus quam 70 ℔ Salispetræ provenient.

Mo-

Modus liquorem coctum ad Salispetræ crudioris generationem ritè uſurpandi.

Liquorem præſcripto modo præparatum ex aheno transfer in cupam anguſtam ex ligno abietis aut pini confectum, in qua quiete permaneat, uſque dum parum refrigeratus fuerit, limuſque appareat, & Sal lateribus cupæ granulatum ad hæreſcere notabis; hinc ubi lixivium frigefactum adeò reprehendis, ut digitum ipſi imponere ſine aduſtione valeas, per foramen ad ſpithamæ longitudinem à fundo vaſi inſculptum, embolo, quo antea claudebatur ablato, eidem exitum permitte, quod vaſis ligneis capacibus admodum, profundiſque, ad eam rem ex profeſſo conſtructis, aut etiam ahenis cupreis, terrâ ferè abſconditis (quo enim frigidiore magis collocantur loco, eò melius & copioſius Salpetræ colligitur atque concreſcit) & Salpetræ crudum duorum ferè digitorum transverſorum craſſitie, colore partim albicans, partim flavum, partim etiam ſubnigrum in eo concreſcere deprehendes.

Poſtquam liquor hic coctus per dies duos, noctesque totidem in vaſe ita ſtetit, lixivium Salipetræ ſupernatens auferri debet, quod lixivio fortiori mixtũ ſecundâ vice çineribus affundere licet,

ꝛt, alias enim pinguedinem nimiam contrahit ivium, nec ullum Sal generabitur. Accidit quandò, cineribus haud adeo bonæ notæ exintibus, in liquore nihil omninò ſalis colligi, o in caſu præſentaneum magis remedium non, quam ut lixivium tale fortius debito alii perſceatur, ſicque cineribus novis & bonis iterum ſundatur, hinc ad modum præſcriptum coo denuò perficiatur. Similiter & ubi lixivium er coquendum turbidum admodum reprendis, unde ſalis collectio impeditur ſæpè, auendum illud, lotricibuſque dandum, ejuſque locum aliud cinerum ope ulterius purifican, ſubſtituendum eſt.

Modum liquorem per coctionem parandi Sal ex eo rahendi, colligendique figura appoſita N$_3$. 2. *exhi-*

A. Cupæ longæ anguſtæ, in quibus liquor decoctus ex lixivio refrigeratur.

B. Fornax in quo ahenum,

C. Vir qui coctionem dirigit, & ligulâ Sal extrahit, quod qualo vimineo ſupra ahenum collocato imponit, quo ſic reliquum à ſale lixivium in ahenum rurſum defluat.

D. Corbula.

E. Cupa minor, ex qua lixivium forte in ahenum defluit.

F. Mactræ

F. Mactræ ſeu vaſa, in quibus Salpetræ concreſcit crudum.

G. Quatuor ahena terræ excavatæ impoſita, in quibus itidem Salpetræ generatur.

H. Vas validum in quod lixivium, à generatione Salispetræ reſiduum transfunditur.

Modus Salpetræ crudum purificandi.

HIs omnibus ritè ſic peractis lixivioque Salipetræ imminente ablato, ahena aut vaſa Sal illud continentia attolle, locoque convenienti ad id ut lixivium reſiduum adhuc, in cupam aliam ſuppoſitam omnimodè defluere queat eadem inverte. Hoc facto ſpatulâ ferreâ, aut potius inſtrumento ſimili ei quo fabri murarii ad parietis incruſtationem utuntur (eine Kelle), Salpetræ ex ahenis aut cupis aufer, illudque cupæ inferiore ſua parte foramen habenti, quo lixivium perfectè ſeparari ab eo poſſit, impone. Qui ex Salispetræ coctoribus crudum illud Salpetræ, neutiquam purificatum venale exhibent, aquam putealem puram ipſi affundunt, cujus beneficio rubedo maximam partem aufertur, adeò ut albicans magis reddatur; quod ab eo ſeparatur, lixivio alteri fortiori iterum miſcent, & coquunt in uſum ſubſequentem.

Quod

Quod ſi animus tibi ſit crudum hoc Nitrum, à ſale ſuo omnibuſque impuritatibus purificandi, quo pulchrius albicanſque reddatur, hoc modo procede.

℞. *Aquæ putealis* quantum ferè ſufficit ad ſolutionem Salispetræ, eamque aheno purificatorio, prius aquâ mundato, linteamineque exſiccato, infunde, igneque ſubminiſtrato ferventiſſimam effice, huic Salpetræ ſenſim & fruſtulatim injice, continuò cochleari Salpetræ in fundo hærens movendo, quo facilius, citiuſque ſolvatur. Hoc ſolum obſervato, ignem, dum Salpetræ aheno injicitur, lenem magis requiri, quo aqua ſemper calida ſervetur. Omni ſic Salepetræ in aqua fere ſoluto, ebullitionem hujus promove ignis augmento hinc cochleari an Sal in fundo aheni reſideat groſſū magis explora, quod ubi adeſſe deprehendis, quandoquidem haud adeò facile diſſolvatur, ac ipſum Salpetræ, nec ullam utilitatem lixivio adferat copioſius ei admixtum cochleari extrahe.

Hoc facto, ebullienti aquæ innatantem ſpumam ſepara, hinc vaſculum æneum liquoris ℥is continere valens, dimidiâ ex parte lixivio reple, quod aquæ frigidiori impone, ad refrigerandum, & ex tempore Nitrum in eâ generari notabis. Et hac ratione explorare potes, an aqua purgatoria fortis nimis ſit, nec ne: Quod ſi enim fortior ſit debito, cuticulam ipſi in vaſ-

culo

culo contentæ inductam obſervabis, & hoc ubi contingit, plus aquæ calidæ ipſi adde, ignem in eò gradu caloris conſervando, qui ad ebullitionem levem aquæ in aheno contentæ ſufficit. Ubi jam ad aliquod tempus ebullitionem eam inſtituiſti, de novo bonitatem aquæ explora modo tradito, quod ſi criſtalliſationem in eâ, nec omnimodam concretionem, in medio hiatu remanente, reprehenderis, res legitimè ſe habet, ſecus verò ſi contigerit, ſic ut ſuperius omnimoda detur occluſio, aquæ calidæ affunde, uſque dum res ad modum dictum ſucceſſerit. Poſt hæc ℞. *acetum vini optimum*, ejuſque ferè ℔j. aquæ dictæ infunde, & illicò ſpumam nigricantem inſuperficie ejus copioſè notabis, ubi ad aliquod tempus reliqueris, ob eam quam contrahit craſſitiem facillimè auferendam.

Ebullitione ſic aliquantiſper adhuc continuata, eandem Aceti quantitatem iterum infunde, ſpumamque ut prius diligenter ſepara. Hæc aceti affuſio, ſpumæque ſeparatio & tertia vice, imò frequentius adhuc iterari poſſunt, quo omnimodo pura aqua purgatoria efficiatur, nihilque ſpumæ amplius appareat. Omnibus his peractis aluminis uſti ſubtiliſſime pulveritati ℥iij. aut ℥ij. aquæ huic inſperge, diligenter omnia ſpatula agitando, quo ſic Salpetræ longiores exhibeat criſtallos. Poſtea Aquam purgatoriam transfer in præſcripta vaſa profundiora linteamini-

nibuſque tege,ne frigeſiat, ſtet ſic per horam aut ad maximum duas,& limus flavus fundum petet,hinc aquam eam adhuc calentem in vaſa alia ex ligno, & maximè ulmo parata, ampla ſatis, transfluere permitte, aut etiam in aheno æneo, ob frigoris actionem majorem terræ excavatæ imponenda,quæ curioſè linteaminibus tege, quo cryſtalliſatio ab imo incipiat, non à ſuperiore parte, uti quidem contingere videmus, ubi à frigore externo integumentis non cuſtoditur, ubi & hoc evenire obſervamus, quod cryſtalli haud ita longi proveniant,quam ſi à fundo cryſtallizatio inceperit. Stent ita per biduum triduumvè, donec haud amplius cryſtallos generari videris, quod hoc modo probare poteris: ℞. lixivii aliquid vaſculo exploratorio, in quo ſi cryſtallos nullos produci amplius notaveris, reliquum lixivii auferre poteris, hinc Salpetræ ſpatulâ ferreâ transfer in vaſculum, inferiori ſui parte perforatum, quo lixivium omne ſeparari melius queat. Et Salpetræ purum, albicanſque, nec non à ſuo ſale liberatum habebis.

Lixivium hîc ablatum quandoquidem ſalſedinem adhuc aliquam poſſideat, lixivio alii fortiori ad coquendum admiſceri poteſt, adjuvari etenim eo ſolet Saliſpetræ crudi proventus.

Sunt qui ad purificationem meliorem, aheno ſimul calcem vivam imponunt,unde aqua albiſſi-

ma evadit inſtar lactis, & Salpetræ pulchritudinem majorem contrahit.

Eſt etiam quod obſervetur, eo tempore quo aqua purificatoria aheno ita continetur, ignem leniſſimum requiri, ne ebullitione nimiâ damnum contrahatur, facillimè enim pauco igne ebullitio ejus cauſari, & ubi vires ſumpſit, difficulter iterum ſedari poteſt. Spumam quam hîc aufers, cineribus adinſtar lixivii affunde, ne aliquid pereat undè commodum ſperare licet. Aheni fundo, maximeubi multiplices ad coctiones adhibetur, lapidea quædam duraque ſubſtantia inſtar Tartari, adhærere quandoque viſitur, quæ niſi auferatur, facilè aduſtionem ahenum patitur ſub eâ materiâ.

Terra, ciniſque à lixivio debili reſidua, loco quodam commodo congreganda ſunt, ibique ad annos 4 aut plures conſervanda, quo rurſum ad id apta fiant, ut ex iis lixivium extrahi queat; quod quo melius faciliuſque fiat, plurimis ſeptimanis antequam in uſus ducuntur, foveæ, canaleſque quaſi in iis fodiendo parandæ ſint, quò ſic ab eô, quô pollent adhuc humore liberentur, ſolis actione. Nec à vero ita aberrant veteres, in eo quod terram omnem ſub tecto melius, fructuoſiuſque conſervari, longeque citius ad debitam bonitatem reduci æſtiment, quam ſub dio, plurimâ etenim humiditate, pluviâ maximè ipsâ plurimum corrumpitur Salpetræ, utpote quod hu-

humiditatem lenem tantum exigit, ut eo generetur, humiditatem nimiam ſummoperè fugit.

Præter hæc plurimi etiam terræ huic cupâ adhûc contentæ abietis aut alterius ligni ſcobem digiti longitudine miſcent; ex eâque pinguedine quæ permixta ſcobi eſt, Salpetræ etiam generari atque mulliplicari volunt, talique modo præparatam terram, dummodo ſicciore ſervetur loco, anni ſpatio ita immutari, ut ad uſus debitos rurſus transferri queat. Imò & hic multum ſe efficere poſſe autumant, ſi terræ ejuſmodi ſterili, loco ſicco recumbenti, reliquias à tincturis, quas alias tinctores abjicere ſolent, & aluminoſas eſſe conſtat, affundant, haud tamen adeò frequenter. Aquas præter tales tinctorum, fuliginem etiam terræ miſcere ſolent; imò & cineres, ex quibus communiter lotrices lixivium parant, quo ſic efficiatur fœcunda magis, citiuſque in uſus duci queat. Solum hoc notandum, terras quandoque reperiri lixivium atrum craſſum dantes, quod per ſe uſurpatum pingue nimis eſt, cui ut Salpetræ melius atque uberius generetur, macra magis, ſiccaque terra addenda.

Quomodo ergò, quibuſve inſtrumentis ſalpetræ crudum purificatur, ex fig. 8. 12. eluceſcit.

Modus Craſſum, nigricanſque Sal Salis-petræ purificandi.

SAl illud nigrum aut potius cinericeum quod dum coctione Nitrum paratur in aheno, cupâque anguſtiore reperitur, in Sal optimum ad uſus quotidianos maximè conveniens, nec ullo modo hominibus noxium, redigi poteſt, ſi debito modo purificetur, quæ purificatio ita peragitur. Ahenum benè mundatum aquâ puteali puriſſimâ reple, igneque adhibito fac ebulliat, ebullienti aquæ Sal dictum per vices injice, quo ſolvatur, quod ut citius & melius perficiatur ſpatulâ continuò move; ubi omne ſolutum eſſe putas, lixivium effunde in cupam aliquam, & videbis craſſiora fundum petere, lixiviumque clareſcere. Hoc ubi vides, lixivium hoc clarum aheno mundato iterũ infunde, continuaque coctione uſque dum Sal fundum petere obſervaveris quod cochleari perforato convenienti ex aheno aufer, corbique ſupra ahenum collocatæ impone, quo lixivium omne ſuperfluum in ahenum iterum defluere queat, & exſiccatum perfectum Sal exhibet. Sunt, qui antequam ad uſus domeſticos hoc Sal adhibeant, decrepitationem ejus præmittunt, vires indè aliquas ipſum acquirere ſibi perſuadentes. Quod reliquum manet lixivii in aheno ad in-

inſtar alterius lixivii ad cryſtalliſandum ordinati, coque, hinc effunde in vaſa ad id dicata, & Salpetræ in iis generari videbis, cum enim Sal dictum ex Salepetræ proveniat, Salispetræ lixivium hoc omninò expers eſſe nequit, quod modo dicto à ſale illo ſeparari purificarique poteſt.

Notandum hîc autem, ubi copia nimia Salispetræ ſali dicto permixta eſt, aut ipſum Sal nigricans impurumque nimis exiſtit, debitum ſuum candorem unicâ ejuſmodi operatione purificatoriâ Sal illud minimè acquirere, ac proptereà operationis hujus repetitionem exigi, ſic ut aquâ novâ iterum ſolvatur, purificeturque, quò album omninò evadat.

Poterit tamen ſal ejuſmodi nigrum atque impurum hoc adhuc modo purificari. Solutionem ipſam, aquâm ſcil. in quâ Sal ſolutus eſt, calidam adhuc, affunde cineri cui jam antè lixivium affuſum, & lixivium ſalſum omninò purificari videbis, haud tamen Sal omne quod indè extrahitur album ſufficienter eſt, ſed quod ultimò colligitur flaveſcens aliquo modo, ac propterea adhuc ſemel purificandum. Nota etiam hîc, ubi lixivium tale ſalſum cineri affunditur, operatione peractâ, benè edulcorandum eum eſſe, ne ſal fundo arundinaeeo adhærens inſequenti tempore affuſo lixivio ſalſedinem indebitam tribuat.

Atque ſic Salpetræ excoquendi parandique methodum vulgarem habes; in qua hoc maximè damnandum occurrit, quod prolixa admodum ſit, nec ullo modo fructuoſa, ex eo quod ex centenario lixivii, non ultra tres quatuorvè libras Saliſpetræ accipiamus, quamobrem omnis aqua reliqua evaporatione imminui debet, quod non niſi longo tempore, ſumptibuſque haud adeò levibus indiget. Huic tamen incommodo quâ ratione obviam eundum, in ſequentibus patefaciam, experientias proprias adducturus.

Modus lixivium crudum ante coctionem augmentandi.

Lixivium Saliſpetræ augmentandi, h. eſt, Saliſpetræ in aqua reſidua ab extractione Saliſpetræ, proventum uberiorem cauſandi modum, Saliſpetræ coctores variè hactenus quæſiverunt, at fruſtrati, eo quod experimenti minoris, quo omnia hîc explorantur, inſcii fuerint. Fit autem ejus augmentatio hoc modo. ℞. Lixivii cujus cujus centenarius Nitri ℔ iv. exhibet, eam quantitatem, quam cupa continere valet, affunde terræ novæ, ſtent per horas xij, hinc abſtrahe lixivium, cujus quantum remanere vides (quod ex vacuitate diverſâ menſuræ in qua & antea erat, & nunc continetur colligere licet) tantum

aquæ ſimplicis terræ affunde, quam ſimiliter abſtrahe lixivioque miſce & accipies eandem quantitatem, quam antea in tuo vaſe habueras. Hoc facto, experimento minore explora lixivium, & nitri ℔ vj continere illud reperies, lixivium hoc ſex ℔ Nitri continens terræ novæ aliæ reaffunde, & procede modo dicto, accipieſque Nitri ℔ 9 continens lixivium. Hoc ipſum tertiâ vice aliæ terræ novæ affundere licet, procedendoque modo dicto adhuc plus Nitri ex Centenario lixivii reportabis. Hâc autem operatione ſedulò ſemper cavendum, ne plùs aut minus lixivii abſtrahamus à terrâ, quam anteà in vaſe habuimus. Hæc de aquæ ſecundâ affuſione addere placuit ſolius experimenti gratiâ, quo ſic quandoquidem lixivium hoc modo plus nitri continere, nec tamen illo modo id ipſum augeri reprehendimus, augmentationis certiores fiamus. Poſt hæc ad replendam menſuram primam, lixivium debilius loco aquæ adhibere licet, & ſic facilius magiſque augmentabitur lixivium; hujuſque quantitatem ad coctionem ſufficientem brevi accipere poſſumus. Et quamvis hæc augmentatio lixivii laboris plurimum exigat, eo tamen omnia compenſantur, quod unius ſeptimanæ ſpatio, minoreque ligni copiâ, longè plus Nitri acquiramus, quam modis aliis vulgarioribus. Vaſa tamen plura ad opus hoc requiruntur, quo ſeparata ſervari queant lixivia.

Placet & hîc lectori quâ ratione utiliter coctio lixivii inſtituenda ſit manuductionem exhibere. Primò omnium benè notandum eſt, quandoquidem coctio magna terræ ingentem quantitatem exigat, nec tamen omnis ſemper æque bona, (maximè cum experimento eam omnem explorare non liceat) ſe offerat, cui labores ſumptuſque iidem qui optimè impendendi; conſultum omninò eſſe, coctionem haud ita magnam inſtituere, cupiſque ſolummodo tribus quatuorvè eam perficere, quo ſic terram optimam convenientem elicere queamus, quam in civitatibus, antiquioribus ex ædibus, ſtabulis eruere licet, haud tamen nimis profundè. Lixivium tale cujus centenarius Nitri ℔viij. continet, ad ℔xviij, aut xx augeri poteſt, ſi dicta methodo procedamus. Ad quod attendant Nitri coctores qui regiones eas inhabitant, in quibus ligni haud adeò copioſus proventus.

Neutiquam tamen lixivium hoc modo auctum omne Nitrum ex terrâ ipsâ attrahit, ſed ſemper adhuc aliquid ejus remanet. Ideoque ne terram illicò abjicere cogaris, aquam ſimplicem ei affunde, quam, poſtquam per horas aliquot ita ſtetit, iterum abſtrahe, & habebis lixivium debile, quod experimento explora; & procede augmentandi methodo; ſic continuus tibi erit labor.

Etiam hîc obſervandum maximè occurrit, offi-

officinam, in qua Salispetræ coctio hæc peragitur, humilem omninò requiri, ſtramineque tegendam eſſe, quo ſic & calor melius circa cupas conſervari, & de hyeme æque ac æſtate operatio hæc perfici queat, nec lixivium debile congelationem incurrat.

Vidiſti ſic lector benevole, qua ratione communiter ex Terrâ eâ quæ in ſtabulis pecudum colligitur, Nitrum coctionis ope paratur. Et licet materialia mea, ex quibus quo modo Salpetræ confici debeat hoc opere aperui, & plus longè Nitri contineant quam terræ illæ, & minori cum labore illud nobis exhibeant; conſultum tamen judicavi, viri prædicti celeberrimi diligentiſſimique fidelem optimamque inſtitutionem, manuductionis loco adducere, ut ex eâ manualia addiſcere quilibet queat, & ſecundum eandem labores ſuos inſtituere.

Quemadmodum enim ex lixivio quod ex terrâ fit, coctione Salpetræ paratur, ita & ex eo quod ex lapidibus aut fornicibus calcariis, niſi quod hic ultimus modus, qui noſter eſt, facilior ſit, pluſque Nitri alio exhibeat. Hæc cui arrident, rem ipſam aggrediatur, nec in vanum labores ſuos inſtituet, plurima eaque admiranda Salepetræ efficere licet, uti & in præcedentibus abundè demonſtravi, & in ſequentibus ſi Deus vires conceſſerit, clarius demonſtrabo.

Antequam verò praxin ipſam accedam, utilita-

tateſque Salispetræ in ſpecie deſcribam ; quam mirabile imò incomparabile ſubjectum Sal illud petræ ſit, oſtendam, omninò neceſſe eſt. Hanc rem *Parte ſecundâ Furnorum Philoſophicorum*, *parte ſecundâ Pharmacopœæ Spagyricæ*, præcipuè verò *Miraculo Mundi*, ejuſdemque *Explicatione*, *Continuatione*, atque *Defenſione*, jam copioſè tractavi.

Ut autem hæc mea ſcripta defendam, certumque faciam me Salipetræ nimium haud tribuiſſe, prout quidem imperiti Farneri Fautores falſo publicavere, demonſtrare conabor, Salem-petræ ſubjectum mirabilitatis, Monarchamque Monarcharum eſſe, nec ipſo aliquod in toto orbe terrarum robore, virtute, & potentiâ ullo modo æquiparari, imò in minimo præferri poſſe, quod ut probandum ſuſcipiam, mihi anſam præbuit frater quidam Farneri, qui non ita pridem tractatū in lucem edidit inſcriptum Lucerna Salis Philoſophorum, in quo falsè ſe filium Sendivogii dicit, ipſoque titulo de prædictione ſive prophetia trium Monarcharum omninò ad iter accinctorum, mentionem facit ; his verbis:

Elias artium artes docebit.

Et illud noſtri Coſmopolitæ

Monarchia Borealis adveniet.

Et Bœhmii Teutonici.

Lilium edet Flores à ſeptentrione.

Judicans tres eſſe Monarchas in viâ, magna ſtupen-

ſtupendaque effecturos, id eſt, primo Eliam Artiſtam venturum, arteſque docturum, ſecundo Leonem ſeptentrionalem, inſtar Monarchæ mundi triumphaturum, & denique Jacobi Böhmii ſcripta de novo, prælo commiſſum iri. Ad primum quem Eliam Artiſtam appellat, quemque hominibus artes demonſtraturum vult, quod attinet, videtur ſemetipſum deſignare, quia ſe filium Sendivogii fatetur, ac unicuique ſcriptis ſuis promittit, lapidis Philoſophorum conficiendi modum ſe omnes docere velle. Hoc igitur ſi ita ſit, quod nempè hic falſo dictus filius Sendivogii magnum ſecretum Philoſophorum poſſideret, pluribusque æquo pretio idem exhiberet, nullus non fateri cogeretur, hunc eſſe promiſſum & prædictum Artiſtam, neque opus eſſe expectatione alterius, ſed omnes omnino artes in illo reſidere ac inveniri.

Quia verò hic Elias Artiſta ſuis artibus & Monarchiâ mihi pluſquam ſuſpectus, ipſiuſq; nomen cũ patris ſui putati re ipſa minime convenit, omninoque differunt, ſilentio præterire non poſſum, quin toti mundo falſum aſcititiumque ipſius nomen inutilemque Monarchiam exhibeam, ut quid hâc de re judicandum omnes ſentiant. Idque non voluntarie, & non ſine causâ, imò nolens volens facere cogor. Non enim ſum Momus ille qui lumine ſiniſtro opera aut ſcripta aliorum (quamvis inutilia) corrigere ſive emendare

dare deſidero. Sed quia falſus hic Elias Artiſta; (vel ſi mavis adoptivus filius Sendivogii) in ſuo allegato tractatu, me immeritò etiam, atque plane inique contemptui habet, in numeroque ſophiſtarum ponit, homines præmonens ut ſibi ab ejuſmodi libris ſophiſticis caveant, ut hoc ex ipſius ſcriptis colligi poteſt, quæ ita ſeſe habet. *Cavete vero fratres à libris Sophiſtarum, & imprimis moderni I. R. G. cujus nomen, non ſine omine hoc anagramma præbet: Vah longus verbo ſed nil ſupra, itaque facite eum, cùm conſortibus miſſum fideliter moneo, ni vos poſtea ſerò pœniteat, paſſim enim querelæ ſunt hominum, quorum nummi in tentatione ejus proceſſuum, miſere perierunt.* Ego verò talem me non agnoſcens juſte contra morſus infamiæ me cum veritate defendere cogor.

Oportet certè ſit homo malignus, invidus & litigioſus, nec unquam illum vidi, neque ipſi vel bona vel mala præſtiti, nihilominus tamen me contemnit nihilique facit, ſine datâ causâ & occaſione, idque ſolum ex invidiâ & odio, quamvis ſcripta mea antea non modo ſummis laudibus, celebraverit, ſed & illa publice contra Farnerum ejuſque aſſeclas me permittente defendere voluerit. Quia vero ipſi nullum ſuper hâc re dedi reſponſum, neque annui, propterea quod in ſcriptis meis res ipſa loquatur, ſufficienteſque teſtes veritatis adſint, illud abſque dubio illum coxit, nullas enim ex illo tempore ab eo accepi literas.

Et

Et ſi rectè memini, ternas ad me dedit per Henricum Beth (qui ſcripta ejus hic Amſtelodami imprimenda curat) quarum duas tantum reperire licet, ad quas etiam reſpondi per dictum Beth qui mihi propterea adfuerat. Ad ultimam vero Epiſtolam nil reſponſi accepit, quia prædictus Beth id neutiquam exegit, ſic igitur uſque ad hanc horam eo res permanſit ſtatu. Nil autem hinc concludere poſſum niſi quod aliquot ſecreta à me expiſcari voluerit, ideoque familiaritatem meam quæſierit. Ut autem fallaciam ejuſmodi hominum noſſe, ſibique ab iſtis vulpibus ac Phariſæis (lupis potius) alii cavere poſſint, utile duxi, hujus viri literas ad me exaratas hîc inſerere, ut ita omnes judicare queant, quam falſe ac inique mecum egerit indeque quam impii ſint homines hujus mundi in quo vitam jam degimus colligere, quomodoque nulli mortalium ferè amplius fides ſit adhibenda, ut luce meridiana clarius ex hoc Monarchâ Artium apparet.

Prima Epiſtola ſic ſonat

Spectatiſſime, Honeſtiſſime, Experientiſſime, plurimum æſtimande Fautor

Dne GLAUBERE.

QVandoquidem uniones chymicos indies magis magiſque depromas & divulges, & valde metuendum,

dum, ſi ejuſmodi margaritas, plures ulterius porcis objiciantur, plus damni inde quam commodi in commune bonum redundaturum, imo eo ipſo quod ejuſmodi ſcriptis tibi contradicentes falſos Farneri patronos veritate vincere ſtudes, malum hoc modo magis vires ſumpturum. Ideo ego *qui lumine naturæ benè novi quam incurabile malum hâc patefactione producetur, non poſſum diutius quin amice dehorter, rogemque ut in poſterum explicatione & divulgatione ſummorum ſecretorum, qualia in ultimis tuis ſcriptis continentur, abſtineas, contentuſque eſſe velis illo quod proh dolor! omnimo immodice publicatum eſt, alias mehercule diræ & ſæviſſimæ imprecationes antiquorum philoſophorum infallibiliter in te cadet. Sic enim illuminatus philoſophus & ſervus* Dei *Raimundus Lullius parte prima ſui Teſtamenti loquitur.* Per *animam obteſtor & juro, ſi forte hæc ſumma ſecreta patefacis, damnaberis, nam crimen læſæ Majeſtatis Divinæ committes, quod tibi etiam noviſſimo die non condonabitur:* Eodem *modo etiam adhortantur & exclamant alii philoſophi omnes, quapropter deſine & finem impone. Deus* Opt. *Max. benè contrarios tuos deſtruet.* Et *ego ipſe, ſi tibi placet, illis unico tractatu ſilentium imponam, ſatiſque teſtimonio veritatis tuam perſonam defendam, non opus eſt propterea philoſophicam artem prophanare;* Nam *ejus generis ſocii ſe tantum eum in finem opponunt, ut ſecreta eliciant.* Spero *omnino Dominum amicam meam adhortationem benevolo animo accepturum, quod ſi alias* Tibi *inſervire potero, erit quod audacter ad me ſcribas.*

In-

Interim obſcero me brevi reſponſione digneris, quam illi qui has tibi offert reddere poteris. Hiſce finiens Divinæ protectioni Te commendatum volo. Permanens

Hafniæ 26. 9bris.
A°. 1656.

Doctiſſimi Domini
officioſiſſimus.

J. H. S. filius Sendivogii.

Reſponſa acturus quæſo inſcribas, Salomon Angel, eaſque exhibeas illi, qui meas tradidit, & bene ſic ad me perferentur. Sciat Dominus me amatorem Chymiæ eſſe, nunquam verò aliquid in particularibus egiſſe, quod verò univerſalem ſcientiam veterum Doctorum ſpectat, Dei gratiâ, etiam alios erudire poſſe, qui digni ſunt.

Inſcriptio talis erat

Spectatiſſimo, Experientiſſimoque Domino
JOHANNI RUDOLPHO GLAUBERO,
Summe colendo amico.
AMSTELODAMUM.

Sequitur ſecunda Epiſtola ſic ſeſe habens.

Honorande, Magnificè Dne. GLAUBERE.

Re-

RESponſiones veſtras gratiſſimas $\frac{2}{10}$ *xbris ſcriptas ſummo deſiderio expectatas accepi, & valde gaudeo quod ſeriam meam ſinceramque adhortationem grato animo & in bonum explicaverit, quodque inpoſterum curare velit, ut ſecreta in gratiam bonorum, piorumque, ulterius edenda, eo ſtylo tradantur, quem maledici & impii percipere non valeant, quod ſanè optimè factum, mandatoque Dei conſentaneum. Quod vero Dominus mentionem facit, neſcire ſe in præcedentibus ſcriptis aliquid ſingularis aut arcani divulgatum eſſe, ſed ſe tantum obiter hinc inde ea attigiſſe, gratis dictum eſt. Fateor etenim veritate victus, ac per Deum immortalem teſtor etiam hæc paucula tam magnam habere emſphaſin, & efficaciam, ut inter mille vix unus hoc ſæculo etiam iis dignus ſit imo non auſim loca allegare, ne in alias manus incidant, attamen quod pauci rem intelligant facit juſtum judicium Dei, qui ipſis oculos animi claudit, ne pretioſi uniones à canibus & porcis conterantur, non conduceret etiam, ſi quilibet oppidò ſciret, ubi canis ſepultus latet, prout mihi (Deo ſit laus) notum eſt. Imò cui Dominus oculos aperit neutiquam opus habet multa patefactione, ſed paucis verbis fundamentum rei percipere poteſt: ſicut illuſtriſſimus Dyoniſius Zacharias teſtatur, dicens, Philoſophicam artem ita nobilem & bonam eſſe, ut uno die, imò unicâ horâ comprehendi ac perdiſci queat, ſi non ſcriptores parabolis uterentur, cujus rei veriſſimum teſtimonium in me ipſo poſſum dare, dum captus meus conjecturam mei præceptoris longiſſimè ſuperavit, at neutiquam ta-*

lem ingratitudinem à me expertus eſt qualem tu à diſcipulis tuis,ita etiam per diſcurſum levem alii licuit præcipuorum fundamentorum notitiam ex me haurire. E *contra vero reperio filios ignorantiæ & duræ cervicis difficilius ea capere, dum me cum quibuſdam de primariis capitibus agentem conſiderato reſpectu abjectioris ſtatus, contempſerunt, neutiquam ſibi perſuaſum habere volentes; mihi conditionem, naturamque dulcis cryſtallini fluvii ex philoſophico mari ſalſo notam eſſe; nec ullo modo arcana* Dei *ſine aliquo Academico titulo patefacere ullis poſſe.* O *miſerandam cæcitatem hominum! qui ita volunt decipi.* Propterea *iterum ſpero Dominum meam adhortationem æqui bonique conſulturum, atque indeſinenter gratis* Dei *filiis ſuo talento inſervire perrecturum, expectando in mercedem cœleſtem gloriam à* Redemptore *noſtro* Ieſu Chriſto, *Dei filio, heri, cras & in æternum; promptum itidem atque paratum me exhibeo, ad ea quæ honorificum tuum nomen famamque ſpectant, tractatu aliquo pro viribus defendenda, teſtimoniumque tuæ ſcientiæ & doctrinæ, ſicut coram omniſcio judice vivorum & mortuorum confitebor, præbendum, ut quiſque videat, non niſi ſuperbos atque invidos bonas tuas inventiones iniquiſſimè contemnere, cum utiliſſimæ ſint; eâ tamen conditione, ut Dominus mihi concedat, nomen meum proprium omittam, ne toti Mundo innoteſcam, adeoque inde mihi poſtea maximam moleſtiam creem. Nihilominus tamen ita componam omnia, ut ſatisfiat Domini adverſariis: Certus enim ſum nemini horum*

ea melius nota eſſe, quam mihi. Non ſolum enim experientiam & ſcientias meas ex auditu, ſed ex Archiphiloſophi, cui omnium Academiarum contradictiones non ſufficiunt, veris manuſcriptis hauſi. Rogatum volo etiam humaniſſimè dominus prolixitati meæ in ſcribendo veniam det, non enim ignoro tempus ipſi nil otii permittere, imò deficere. Ideoque & in poſterum literis meis non amplius moleſtus ero. Si verò Dominus ad me aliquid habeat ſcribere, det literas portatori harum mearum, quo tempore etiam libuerit, & abſque dubio ad me perferentur, neque ego reſponſionem differam, ſed etiam me promptum ac paratum ſiſtam ad omnibus talento meo inſerviendum, cum mihi certo conſtet, filiis Dei hac in miſerabili præſenti atque futurâ vitâ emolumento fore. Hinc obſecro, ut vota ſupplicesque precationes ad conſummationem atque perfectionem harum rerum ad Deum fundat, quemadmodum & ego quotidie pro Domino & aliis Dei ſervis facere propoſui. Hiſce Dominum meum honorandum, aliis Dei fideli animo commendo, permanens

Dni

Addictiſſimus ſervus,

J. H S.

P. S.

Ha-

HAſce ut & præcedentes literas Dominus proximo ſuo tractatui inſerere, & prælo committere poteſt, utpote quæ illum excuſent, quam ſeriò admoneatur ut chymica ſecreta melius recondat, quæ tantum ad liberos pertinent, ſiquidem improbis, ingratis, arripientibusque canibus nil niſi infernum patet; ſi quid ad Domini defenſionem mihi ſcribendum, quæſo placeat Domino eadem Amſtelodami typis dare, eo quod hoc hîc faciere occaſio ſe non offerat, placeat etiam ſumma quædam capita chartæ committere eorum quæ præcipuè à me tractari exigit, mihique ea tranſmittat, cætera mihi ſolummodo reliquantur, ad honoris Nominiſque Tui defenſionem rite debiteque diſponenda & tractanda. Quamprimum reſponſio Domini ad me pervenerit, ſcribendi initium faciam. Optandum omnino foret, Dominus unicum ſaltem, & particulare quid ſibi eligeret ad vitæ ſuſtentationem, & ſic elaborationem benedicti univerſalis ſibi præ manibus ſumeret, unde longè excellentiores uſus ad Dei gloriam emanare crediderim. Quemadmodum & præceptor meus ante adeptionem Vniverſalis ℞no viridi contentus fuit, cujus ope ſingulis hebdomadibus ☉ ℥iij ex ☾ particulariter accepit, quod ☉ ipſi ad diutinum illum Vniverſale illud perficiendi laborem anſam dedit, auxilioque fuit. Quem etiam proceſſum particularem ex manuſcripto ipſius deſcripſi, at plurimum & ſudoris & carbonum requirit. Confeſſio domini aperta contra chriſtianos in Apologiâ adverſus Farnerum ſcripta, val-

dè placet, & utile omninò eſſet etiam in aliis eorum ſcriptis ſimili modo procedere. Interim maneo

Domini mei colendi

Officioſiſſimus ſervus & fidelis amicus

Hafniæ 20 xbr. St. vet.
A°. 1656.

J. H. S.

Inſcriptio

Viro ſpectatiſſimo, præſtantiſſimo, atque experientiſſimo, Domino Joanni Rudolpho Glaubero, *amico ſingulariter colendo*

Amſtelodamum.

HIſce in Epiſtolis tuetur & ſummè laudat ſcripta mea, offert etiam ſe illa contra Farneri mendacia ita defenſurum, prout coram tribunali Dei tueri vult, expreſſe dicens me immodice margaritas projicere porcis, ſerioque propterea admonens, ne maledictionem in me recipiam, in poſterum illa ſecreta detegere & divulgare deſinam, jam verò ipſa adeò ſpernit, hortaturque ſingulos ut ejuſmodi Sophiſtica vitent. Hoc certe eſt diverſi generis frigus & calidum uno ex ore proflare, quo dolo Diabolus homines hodiernos ſuperabit? quid fallax iſte vir

vit reſponderet ſi ipſi ſcripta ſua ante oculos ponerentur? Homo ſi eſſet æquus annon erubeſceret? ſed forte tandem in pectore ſuſtinet audaciam quod neget ſua eſſe manu exarata, quod fieri tamen nullo modo poterit, quia teſtes adhuc ſunt præſentes, quos non latet, mihi ab Henrico Beth literas eſſe traditas, ſcriptas ab illo qui nomine Sendivogii gloriatur, meque eidem Beth ad eundem filium Sendivogii reſponſionem dediſſe quam Hafniam miſit, (inde enim ejus literæ mihi erant perlatæ) in quibus ultimis & quidem in P.S. ipſe petiit ut illas ſcriptis meis insererem, cùm ea prœlo committerem, ut ita excuſarer ſi forte nil boni poſtea à me proficiſceretur, in lucemque ederetur. Haſce autem ejus literas imprimendas hactenus non curavi, verum tertiâ parte meæ Pharmacopœæ Spagyricæ, qua metalla fluxilia reddendi modum trado, quo deſtillari, purgari, indeque poſtea excellentia medicamenta, tincturæque præſtantes præparari poſſint, obiter tamẽ aliquid ex iis attigi. In ſecundâ parte meæ Pharmacopœæ Spagyricæ mentionem facio proceſſus alicujus ex ♄, quem tamen ænigmaticè omnino deſcribo, adeo ut non facile exinde quiſpiam lapidem Philoſophorum colligere poterit, ut hic J. H. S. (ita enim ſubſcribit ſuas literas, nec unquam proprium nomen notum fecit) metuit, mecum expoſcit ac rogat, ne in poſterum hu-

juſmodi gemmas porcis projiciam. Quandoquidem autem me non fugit, pretioſos iſtos uniones, cæcos mundi incolas non facile ab ariſtis ſive glumis decernere poſſe, exhortationes & admonitiones ejus haud magni feci, ſed de hujuſmodi ſummis ſecretis *tertiâ parte mea Pharmacopœæ Spagyricæ*, ut & in *Teſtimonio meo veritatis*, puncto 3 ſub titulo piſcis Eſchinis prolixius egi, ad quod hicce J. H. abſque dubio irâ excanduit, quod manuductionem dederim per ♄ piſciculum Eſchineum ex mare capiendi. Quia enim in omnibus ♄ ſpectat, aliiſque inde lapidem Philoſophorum conficiendi modum demonſtraturum ſe offert, ego verò multis in locis ſcriptorum meorum adeò clarè & enucleatè hâc de re procedo, metuit ne homines ex meis ſcriptis methodum inveniant lapidem illum conficiendi, neminemque ſic ipſum hâc de re conſulturum. Nullam reperio, neque invenietur præter hanc, cauſa. Sed certè quod ſi vir ille aliquamdiu igni adſtitiſſet, ejuſque ope aliquid effeciſſet, non adeò omnibus viribus ſe mihi oppoſuiſſet, neque unquam, me ita perſpicue procedere, ac omnibus Dei dona oppidè paucis verbis communicare, putaſſet. Non adeò facilè ad ſublimia pervenimus, hoc opus, hic labor eſt; Libenter tamen Philoſophis fidem tribuo, quamvis nequeam percipere poſſeſſores hujus ſecreti tempore unius horæ totam rem, auxiliante

te

te & annuente numine divino aliis monſtrare poſſe, ſi modo videat. Quis autem hominum alii hæc facilè communicabit, ut hic J. H. S. in ſcriptis ſuis facit, qui non tantum in datis ad me literis, ſed & in germanico quodam tractatu mihi publicè artem, prout Hermes ipſe eam tenuit, offert. Certè Philoſophus tale ſecretum poſſidens nulli hominum illud exhibet, ſed quantum potis eſt, ſibi ſervat, imò ſe nihil ſcire ſimulat. Inauditum eſt, nec apud ullum Philoſophum invenitur, ejuſmodi artem particulari quodam ſcripto, multò minus publico divulgatam eſſe, mundoque publicatam, ut ipſe J.H. S. fecit. Certè ſi quiſquam eo uſque pervenit, ut univerſum opus intelligat, neceſſariò ſequitur, poſſe ipſum etiam particulare aliquod ☉ & ☽ ex metallis elicere, quo victum ſibi & amictum acquirere queat, neque opus eſt Univerſale illud opus uni vel alteri ut indicet, & vili pretio divulget. Quod nullus non mente ſapiens meritò fateri cogitur. Allegatâ epiſtolâ primâ ſcribit ſe nunquam in particularibus aliquid feciſſe, in univerſalibus autem etiam aliis manuductorem eſſe poſſe; quod falſum; impoſſibile enim eſt ſupremos gradus ſcalæ cujuſdam adſcendere, antequam inferiores attigerimus, quibus ſenſim ad ſumma pervenimus. Inquiſitione enim rerum ſimplicium Philoſophi ad Univerſalis cognitionem pervenerunt, mini-

nime ex lectione multorum librorum, quos ipſe in lucerna citat, Univerſale magnum inquirenti pervolvendos. Fateri quidem cogor, omnes illos authores allegatos magnificè ac verè ſcripſiſſe, imò credo etiam verum Univerſale ipſis fuiſſe notum, quod verò ex ſcriptis eorum addiſci poſſit, falſum eſt, parci enim & cauti in ſcribendo fuêre, hicque unicus illorum fuit in ſcribendo ſcopus, ut perſuaderent hominibus tale eſſe in rerum naturâ opus atque artificium. Nemo licet vel doctiſſimus & ſubtiliſſimus ſit, indè aliquid exhauriet, niſi ipſi anteà à Deo fuerit patefactum vel is alia agendo in ejus cognitionem inciderit, ſimiliter, ut & ipſi authores maximam ſic acceperunt cognitionem. Si igitur quiſpiam per ſeriam inquiſitionem, anatomiamque metallorum atque aliorum ſubjectorum in veram pervenerit viam, poſſibilitas ſe oſtenderit, vera tranſmutatio apparuerit, imò & ſi ſcriptorum Philoſophicorum memor fuerit, maximè cum dicunt, imprimis vero Sendivogius in præfatione duodecim ſuorum tractatuum: *Si quiſquam eo uſque pervenit, ut unum ex vilioribus Metallis, in melius ſive præſtantius ☉ vel ☽ mutare potis ſit, ſive tranſmutatio talis cum, ſivè ſine utilitate fiat, janua ipſi eſt aperta ad altiora comprehendenda:* quod revera verum eſt; Ferè enim maxima pars eorum, qui artem hanc calluerunt,

ex improviſo eam nec ullis acutis cogitationibus ſed per alios labores ſibi acquiſivêre. *Sendivogius* ipſe fatetur, ſe variis artem eam declaraſſe, nullum vero fuiſſe qui potuerit credere poſſibiliter tale effectum ex tam vili materia poſſe produci, Inquit ulterius *Prius manibus palpari*, (intellige quærendo & laborando aliis in rebus) *quam cogitationibus explorari poſſe.* Addit etiam, *ſi omni experientia præſtantiſſimi atque antiquiſſimi Philoſophi reſuſcitarentur, noſtroſque hodiernos labores conſpicerent, nos imitari non poſſent, imò diſcipuli noſtri eſſent, etſi veram medicinam habuerint, & nos econtra artificioſis noſtris deſtillationibus ſuperbi eadem careamus.* Inquit denique, *ſe quoties quibuſdam ſummis viris judicium de eâ expreſſerit, divulgaveritque, toties in periculum & damnum incidiſſe.* Hic vero qui ſe filium Sendivogii dicit, ſe omnibus cum ſuâ arte notum reddit, & offert, quod verum Philoſophum non decet. Quapropter etiam pro filio illius minimè eſt habendus aut accipiendus, imprimis quod apud dictum Sendivogium nullibi reperiatur, ſe aliorum operam & laborem contemtui habuiſſe, & ut Sophiſtica proclamaſſe, ut hicce falsò dictus filius fecit. Quin potius libere & ſine ſimulatione teſtatur: *ſi quiſpiam eo uſque pervenerit ut aliquod Metallum in ☉ vel ☽ transmutare poſſit, ſive lucro, ſive non, ipſi viam patere ad altiora.* Annon multis in locis meorum ſcriptorum, notum feci quomodo poſſibile ſit ejuſmo-

di tranſmutationem facere? Annon adhuc ferè in omnibus meis tractatibus id facio? Annon ſinguliѕ horis adhuc id facere & verum probare potis ſum? Cur igitur me falſus filius Sendivogii detrectat & calumniis lacerat, ac ſi eſſem ſophiſta? quod ſententiæ & ſenſui Sendivogii repugnat, qui eos qui artis ope poſſibilitatem tranſmutationis viderunt, ignobilioraque metalla in nobiliora transformant & transformare poſſunt ſemper magni fecit. Impoſſibile eſt modum ipſi J H.S. nullum inter laborandum occurriſſe particulariter ☉ aut ☽ ex ♄no ſeparandi, ſi aliquid laboris in illo elaborando impendiſſet. Licet vel minimum promittere auſim, ea tamen mihi eſt cognitio ut pluſquã decem modis particulariter ex Saturno ☉ vel ☽ ſeparare poſſim, quemadmodum etiam illud in deſcriptione ♄ni omnibus notum facere nullus metuo; neutiquam tamen ideo ullus hominum me adeò ſuperbire & laudare mea audiet, ut me aliquid de Univerſali illo ſcire vel intelligere exinde deducere queat. Abſque dubio, ille, qui quandam ejus cognitionem habet, non adeo ſtolidus erit ut aliis eapatefaciat, aut ejuſmodi divina dona offerat: Nunquam auditum eſt niſi apud iſtum J H. S. Multi quidem de illo ſcripsére ſed unanimiter voluerunt, ne, ſi quiſquam ex illorum ſcriptis illud invenerit, aut à Deo impetraverit, vel ulli mortalium communicarentur, eò quod donum Dei ſit,

ſit neutiquam hominum. Hic J H. S. me reprehendit quod prolixus nimis ſim in meis declarandis, projiciamque porcis margaritas, cum tantum manuductionem exhibeam, quomodo particulariter bona medicamenta, ad conſolationem pauperum ægrotantium ſint componenda, & ille econtra omnibus magnum univerſale offert, quomodo hæc conſonant? Farnerus & ejuſdem farinæ conſocii ideò tantum ſeſe mihi opponunt, ut dum me ad id ut defendam mea ſcripta incitant, ſimul etiam ſecreta quædam eliciant, quod bene ſcio Farnerum ſpectaſſe, ad quod ipſum muſcæ quædam eſurientes incitarunt, eum in finem ut aliquid mihi eriperent. Nihilominus haud multum ea curo, cum certus ſim, mihi plus adhuc remanere, quam ſocii iſti omnibus vitæ ſuæ diebus experientur atque addiſcent; quod ſi & hic J.H.S. id ideo etiam fecit, ut aliquid à me expiſcaretur, etiam abſque damno eâdem ratione cum ipſo procedere poſſum quam cum Farnero, mihique ſatis reſervo, cum tamen invidos tales econtra carere artibus iſtis conſtet. Hic J.H.S. literis ad me ſcriptis exigit, arcana mea non amplius porcis obtrudam, ſeque ſcriptis meis tractatu aliquo particulari veritatis teſtimonium daturum, at ſine nomine, quod mihi non placuit, quilibet enim hic dixiſſet Glauberum ſua ſcripta defendere conari per ejuſmodi homines, quo-

quorum nomina ignota ſunt, nec qui ea nota facere audent, ſicut Farnerus fecit dum quidam ipſius libro diffamatorio elogia ſine nomine ſcripta appoſuêre, quorum authores tum temporis apud dictum Farnerum, alio longè nomine vocabantur quam jam in Sueciâ ubi nunc commorantur.

An iidem homines & huic J. H. S. qui etiam iis ex locis venit & nuper Rigæ habitavit anſam calumniandi dederint me fugit. Neutiquam laudes aut mei defenſionem expeto à talibus qui nomen ſuum non detegunt, multò minus illorum obtrectationes curo, veritas ideo non peribit, neque mendacia perſiſtent, ſi meâ quid intereſſet, homines ſpectabiles invenire poſſem, qui publicè & verè teſtarentur, ea quæ apud me videre, neque minime nomen ſuum celarent; at quid multa? vino vendibili non opus eſt hederâ. Hoc tamen propoſui me occaſione datâ viro cuidam magno, potentique omnia patefacturum, & ſupplicaturum, ut mihi contra calumniatores ſubveniat. Tantum & (Deo ſit laus) ſcientiæ mihi eſt, ut cum omnibus ſocietatem & amicitiam inire poſſim. Memor fui ſemper Adagii *Paracelſi*, alterius non ſit qui ſuus eſſe poteſt, imo etiam invite âd id adducor, ſed ſi neceſſitas poſtularit nil mihi erit tam charũ, quod nõ contra calumniatores impendã.

Hicce J. H. S. inſcribit libellum ſuum *Lucernam Salis Philoſophorum*, fateor ipſum nobis ex-

exhibere lucernam, ſed candelæ ardentis expertem, quæ lucem præbeat, inquiſitores ad veterum ſcripta ablegat ut ex iis veritatem enucleent, quæ adeo obſcura ſunt, ut innumeros ſeduxerint, quamvis omnes vera ſcripſerint, illi non ſunt in culpâ, quod permulti fruſtra laborem & operam in Univerſali eo acquirendo impenderint. Quid an me igitur J.H.S. ſophiſtam nominabit ideo, quia imperiti aliquot aſini ſecundum dictum meorum ſcriptorum laboraverunt ac nil invenêrunt, non propterea ego ſum in culpâ, ſed illi ipſi dum ex ignorantiâ errarunt & nil boni fecerunt. Annon *Geberus*, *Paracelſus* & ferè omnes ab ipſo allegati Authores, qui quam optimè diligentiſſimeque ſcripta ſua exornarunt, ab ignaris pro ſophiſtis habentur, quorum ſcripta J. H. S. laudat, approbat & citat, ſic ut quaſi ex multis antiquis novam veſtem conſtruat. Hæccine eſt lucerna ſine lumine? Annon hoc eſt in labyrinthum duci? ſi lapis Philoſophorum ex allegatis ab ipſo authoribus potuiſſet inveniri, non adeò multi in opere ſuo ſuccubuiſſent, periiſſentque. Imò dictus lapis tam communis & vulgaris foret, quam compoſitio pulveris nocivi tormentarii, cum illa ſcripta omnino aliquot centum annos partim jam fuêre, partim in omnibus ferè linguis paſſim adhuc excuſa inveniantur. Ideoque non eſt quod aliquis metuet, lapidem Philoſophorum

ope-

ope hujus J. H. S. lucernæ communem futurum, eò quod lucerna illa haud aliud habeat lumen, quam quod alii jam antè plures annos exhibuerunt Ambitiosè me multa ſcire, haud pronuncio, nihilominus tamen, volente Deo, in hoc tractatu toti mundo clare lucens lumen candelabro impoſitum ante oculos ponam, haud obſcuram laternā ſine candela & lumine, ut hic J.H.S. fecit.

§ Ex his Candidus & benevolus lector judicare poterit quid de Monarchia artium J. H. S. ſit ſentiendum; an ex ſcriptis ipſius ejuſmodi Monarchia ſit expectanda, quilibet qui ea leget, experietur.

§ Ut autem ſententiam meam & hîc proferam, quid nempè Paracelſus indicare voluerit, dū ſcribit, *ſecreta ſumma nō prius nota fieri, donec Elias Artiſta venerit, eaque docuerit; dico*: Quid rei eſt Sancto viro Eliæ cum artibus? planè nil. Paracelſus aliud quid indicare voluit, optimè is novit, neminem ad notitiam talem pervenire, niſi patefactione Dei, piis precibus, & inquiſitione, hoc verus eſt Elias de quo Paracelſus loquitur, ſi vocabulum Elias ordine retrogrado legatur, & E in A mutetur, idem erit quod Salia, quibus hæc nota ſunt, iiſdem Elias Præceptor eſt. Ubi Paracelſus de Salibus loquitur, addit *Alchymia reperit id in nitro*, indicans hoc modo & monſtrans Salia quæ Elias inverſo ordine lecta vox ſignificat. Et hæc eſt ſententia mea de adventu Eliæ Artiſtæ, & adhuc

dico,

dico, cui Salia ſiunt nota, ei Elias apparuit. Et ſic ſatis de prima Monarchia J. H. S. & quid de ea ſentiendum.

Sequitur ſecunda Monarchia.

PRo ſecunda Monarchia allegat Paracelſi prophetiam, *Leonem ſcil. ex ſeptentrione venturum, Monarchamque mundi futurum*, quæ prædictio minime ſecundum literam eſt accipienda. Quid Paracelſo cum Leone Boreali; quid ipſi rei cum Monarchis mundi. Sunt qui prophetiam iſtam uni vel alteri Regum ſeptentrionalium tribuere ſtudent, attamen Paracelſi ſententia ea minimè fuit, longe aliud voluit perque Leonem iſtum Salem nitrum intellexit quod Borealibus ventis, pluviis & nive, ad nos ſolet deferri, & quidem aliquoties quotannis, ut hoc omnibus notum eſt hinc multi inter Philoſophos, quorum etiam aliquot recentiores, magna dolia pluviâ & nive ex ſeptentrione proveniente implevêre, tincturamque ex illâ præparare voluêre, at nil niſi Salpetræ reperiêre, ad quod accipiendum multo breviorem oſtendi viam. *Paracelſus, Baſilius* aliique multa de viridi & rubro Leone ſcripsêre, quæ omnia de ſale nitro intelligenda ſunt, quod facillime in viridem rubrumve Leonem tranſmutari poteſt, quâ de re ipſe plurimis in locis mentionem feci.

Di-

Dicat aliquis, quomodo Leo ex Septentrione expectabitur, ſi Paracelſus Salpetræ per illum intellexerit, non enim expectandum quod ſemper fuit? ſed certe adventus hujus Septentrionalis Leonis non eſt accipendus ſecundum externum adſpectum, cognitumque uſum, ſed tantum ſecundum internam virtutem, & in eo abſconditum theſaurum, de quo Philoſophi ænigmaticè multa ſcripſerunt, omnia quam ſecretiſſimè ſervantes. Certè cui intimum Salispetræ notum eſt is mirabilia referre poterit, id enim ſolus verus Monarcha eſt, politiam bonam inſtituere valet ipſum poſſidentes cognoſcenteſque. Hic Monarcha nulli autor erit, ut alios occidat, bona regnaque aliis eripiat, totumque mundum irrequietum reddat, ut quidem aliàs Monarchas facere videmus, ſed pacem & concordiam afferet, militibus ut domi maneant, & opera manuum victum ſibi quærant, neque innocentum ſanguinem fundant, ſuadebit; avaris uſurariis pauperibus benefaciant, & immoderatæ uſuræ finem faciant, injunget; Theologis monſtrabit omnes illorum contentiones vanas, nihilque niſi irrequiem, diſſidium & diſcordiam inter homines cauſare, exigetque ut de amicitia & amore proximi (qui ſub inutili lite omninò perit) conciones inſtituant, odium omne abdicent, & contra patientiæ atque Chriſtianæ humilitati operam dent. Hujuſmodi

modi doctrinas & politiam intima cognitio Leonis Septentrionalis, ac nullum bellum nullamque effuſionem ſanguinis apportabit. Prius vero quam prædictus Leo dometur cicurque fiat, certe rapidus eſt, venenoſuſque baſiliſcus, & vorax draco, homines beſtiaſque devorans, civitates & arces devaſtans, adeoque bona una cum hominibus corrumpens. Sententiam meam his paucis expoſui de adventu Leonis ex Septentrione, quilibet fidem rei tribuat ex placitu, & pro lubitu. Atque ita etiam ſatis de ſecundâ Monarchiâ & quomodo accipienda.

Sequitur Tertia Monarchialis Prophetia.

QUod jam Tertiam prophetiam concernit cujus J. H. S. etiam facit mentionem ſpectant ea ſcriptorem quendam nomine *Iacob Böhm*, qui artem ſutoriam exercuit, & multa Theologica æque ac Chymica in lucem edidit, quæ Johannes Beth iterum prælo committit; quantũ ex iis cognovi, homo is fuit probus, quid verò in Alchymia intellexerit ignoro, hoc tamen conſtat, ipſum nunquam chymicos labores exercuiſſe, chymicaque ejus ſcripta intellectû difficillima eſſe, Theologica verò à multis evolvi. Mea hæc eſt ſententia, huncce J.H.S. tantum mecum expo-

F ſtulaſſe

ſtulaſſe ut ortum inter nos litigium libros ipſius venales magis efficeret. Hoc itaque ipſi ſimpliciter ſic reſpondi, quod ſi contrariari mihi pergat nolens volens alio modo ipſi obviam ire cogor, contentionis enim laſſus & ſatur ſum. Si litigare velit, litiget cum illis quibus nil operæ & laboris eſt, cujus conditionis ipſe cum aſſeclis, quibus nulla eſt œconomia regenda, tempus melius impendere poſſum, quam quidē altercationibus iſtis, quæ nulli utilitatem afferunt, niſi Bibliopolæ, cujus incogniti libri ſic optime veneunt.

Ut concludam, male affectum animum J.H.S. candido lectori paucis aperiam. Nam cum illius tractatum inſpexiſſem & percepiſſem me ita inter ſophiſtas ab illo collocari, fidis aliquibus amicis literas ipſius ad me exaratas oſtendi, ut audirē quid de illis judicarent, certè ex omnibus ne unus quidē fuit, qui non admiratus fuerit hujus hominis iniquum animum & falſitatem. Imò unus eorum etiam poſtea literis ipſi notum fecit, quâ ratione conſtituerim, titulum illum immeritum quem mihi tribuerat, iterum deponere, meque contra ſummam ejuſmodi iniquitatem defendere. Huic hic J. H. S. reſponſorias dedit, quas etiam mihi oſtendit, in quibus inter alia odii ſui eam cauſam prætendit, quod adeo perſpicuè alicubi locorum de univerſali ſcripſerim; imò haud adeo magnum eſſe deſpectum, addit, ſophiſtam aliquem vocare. Geberum enim

pro

pro ſophiſta fuiſſe habitum, qui tamen Rex fuit. Et ſi quid contra ſcriberem, ſe erga me idem effecturum, neque ſolum mihi ſed & liberis meis damno futurum; quod Epiſtolium adhuc reſervatur. Conſideret jam vir probus num tale humanum ſit an diabolicum? Hæc cum quidam audiviſſent, ſuaſerunt, ut omnia ſilentio præterirem, ſimilem aliâs litem inde proventuram, ac cum Farnero olim. Quorum adhortationi annui, me ne ſemel quidem ipſi reſponſurum, quanta etiam proferat mendacia, quin potius propoſuiſſe, referens, futuro vere, (ſi Deo placeat) beneficio preclararum mearum inventionum mihi amicos acquirere, qui non tantum pro me, ſed etiam pro liberis meis poſt mortem intercedant. Non dubito quin aliquando principes perſonæ inveniantur, quæ inhumanam talem perverſitatem evertere valeant. Tritum & vulgare dictum eſt, Neminem diutius quietum vivere poſſe quam vicinus permittit; facile qui libenter litigat, occaſionem invenit, quemadmodum hic J. H. S. etiam fecit, ſed Deo committam, expectans quid juſta ipſius manus ſit effectura.

Minime credibile eſt hunc J. H. S. verum univerſale poſſidere, eo quod non ſolum Deo & naturæ, ſed & omnibus Philoſophorum ſententiis repugnet, utpote qui uno ore, illum cui ſummum ejuſmodi Dei donum obtigit, pium, pro-

bumque proclamant, rei veritate victi. Hic vero J. H. S. primo ſcripta mea contra Farnerum tractatu aliquo ita defendere promiſit, prout coram tribunali Dei rationes reddet, (annon terribilia verba?) paulò verò poſt eadem ut Sophiſtica taxat, nec hocce contentus, minatur & mihi & liberis meis poſt mortem. Annon præclara ſanctitas in corde hujus hominis latet? Cum plus quam crudele & inhumanum factum ſit, non potui non facere, quin toti mundo illud divulgarem, ut omnes vere pii & probi judicarent, an etiam Diabolus aſtutior hoc homine eſſe poſſit, qui gloriatur ſe verum univerſale poſſidere, cum ſatis evidenter ex ſupra dictis concludi queat dona illa Dei in ipſo non reſidere.

Hæc paucula hic in Parentheſi ad defenſionem meorum ſcriptorum adjicere coactus fui, ut fallaciam hominum depingerem, quidve de verſipellibus iſtis vulpibus ſit ſentiendum patefacerem, quod æquus lector non in malâm partem interpretetur, ſed detecta in hoc tractatu ſecreta pro labore lectionis hujus apologiæ redhoſtmienti loco recipiat, rogo. Notum etiam univerſo mundo facio, me omnium eorum, quæ ab initio uſque ad hoc tempus ſcripſi, proximo vere publicam demonſtrationem inchoaturum, quæ reſpectu aliarum ſubtiliorum inventionum de quibus adhuc nil impreſſum extat, præterquam quæ in hoc tractatu indicavimus omni-

omnino ludicra æſtimo, quæ omnia amicis in laboratorio ſecretiori ſuo tempore (volente Deo) exhibebuntur.

Sequitur nunc potentiſſimus Leo, & Monarcha ex Septentrione, cui nemo in mundo comparari debet, nec ullus gloriâ & potentiâ antecelluit, aut ſimilis exiſtet.

PRiuſquam verò de omnipotenti illo Monarchâ aliquid incipiam ſcribere, utile duxi *Paracelſi* Prophetiam, ut mihi obvenit, ad meliorem cognitionem huc adjicere, ex quâ quilibet qui in naturâ eſt expertus ſatis videre poteſt; *Paracelſum* non Regem, ſed magnum myſterium Philoſophicum intellexiſſe, ac deſignare voluiſſe, itaque ſic illa verba ſeſe habent.

DOCTORIS

PHILIPPI THEOPHRASTI PARACELSI PROPHETIA, DE Leone Septentrionali.

IN ſepulchro meo me haud relinquent, verum inde abreptum verſus Orientem deponent; & prædico vobis: Tres Theſauri magni ſunt abſconditi; 1. VVeydæ ad Alpes Iuliæ. 2 Inter Sueviam & Bavariam: locum non deſigno, ad evitandum plurium malorum originem, ſanguiniſque effuſionem. 3. Inter Hiſpaniam & Galliam. Qui autem hos repererit, in Triumphum, cuivis admirandum, ducetur. Item inter Sueviam & Bavariam haud vulgaria artificia continentes libri, cum lapidibus pretioſis, & Carbunkulo, ſe exhibebunt.

Hinc & eorum, qui eos invenient, ætatem indico; Primus erit ætatis 32. Alter 50. Tertius 28. annorum. Hique haud longe poſt exitum Imperii Auſtriaci reperientur, & continget, ut hoc eodem tempore flavus Leo ex

Septen-

Septentrione ſit venturus qui Aquilæ perſecutor tandemque ejus victor exiſtet: hic univerſam Europam partemque Aſiæ & Africæ imperio ſuo ſubjiciet; bonam & Chriſtianam profitebitur religionem, cujus plurimos habebit aſſeclas. Primò erit ipſi moleſtiſſimum Aquilæ ungues ex Imperio avertendi, antequam verò hoc fiat, inter omnes in omnibus regionibus maximæ diſſidia & ſimultates variæ exorientur, Inferiores inſurgent contra ſuperiores, ita ut magnus tumultus futurus ſit, attamen membra, ſalvo capite, nequitiæ pœnas luent.

Neque hic finis erit, verum magnus ignis incendetur, qui omnia in cinerem vertet, ſed omnipotens Deus ſuis præſto erit, ſupererit tamen adhuc favilla quædam pietatis, quæ ſenſim Incrementum capiens, arripientibus metum incutiet; hæc quod mortuum eſt redivivum faciet. Inimici & perſecutores Chriſti ſe potentes dicent, magnam ubique inferentes devaſtationem, ita ut actionum noſtrarum terminus adeſſe videatur.

Hoſtem jam in ſummo fortunæ apice conſtitutum, juſtiſſimus Deus, exiguæ multitudinis ope, fortiſſimum Leonem Septentrionalem comitantem, cum omnibus Clericis deſtruet, & funditus extirpabit. Plurimi tamen convertentur, & in omnipotentiam ſanctiſſimumque Dei nomen credent.

Cum hic Leo itaque Aquilæ ſceptrum adeptus ſit, omnis majeſtatem ejus reverebitur & ſectabitur: hic erit factis conſiliiſque potens, eumque ſubditi, qui ipſum

jam reſpuünt, ſummo cum gaudio ſuſcipient, ſuperioremque agnoſcent.

Deinde: antè dictus Theſaurus *inter Sueviam & Bavariam reperiri debet, qui duodecim regnorum divitiis æquivalet; ubi & carbunculus ovi inſtar nullo pretio redimendus deliteſcit.*

Alter Theſaurus *inter* Hiſpaniam & Galliam *magnus & potens quidem, priori tamen cedens, in ingreſſu Leonis ex Septentrione venientis, qui Aquilam ducet, manifeſtabitur, tumque demum mente evolvent, quis Ego Theophraſtus fuerim. Cum jam laudatus Leo ſeptentrionalis curſum ſuum abſolvit, & unguium Aquilæ aciem obtudit, tum Pax & Concordia undequaque certatim advolabunt, præmittet tamen ſigna & indicia, per quæ, emiſſos nuncios, adventum Domini indicaturos, nobis conſtabit. Unicum adhuc Ego Theophraſtus à vobis peto, ne omnes mihi imputetis, quæ jam patefacio, quandoquidem voluntati* Dei *adverſari nequeam, quam in rerum natura executioni mandare debui.*

Hæc ſunt illa arcanorum penetralia, quæ vobis reſerare volui. Hic Theſaurus *theſauros alios longè exſuperat. Loco eo inter* Sueviam & Bavariam *artes meæ occultantur, uti ſunt;* Vera Metallorum Tranſmutatio *brevis via,* Univerſale, Pluſquam perfectum, *prædicatum* Aurum Potabile & Lapis Philoſophorum, *cui autem ad repertionem* Eorum *(Deo duce) aditus patet, ibidem præter alios lapides pretioſos Carbunculum inveniet, qui in Ciſtulâ ab homini-*

minibus affabrè facta gemmiſque cooperta abditus deliteſcit, Ciſtulæ impoſita eſt Clavis in arca ferali aurea, Aurea Argentea, argentea Stanneæ infixa eſt, & tali in loco quem Deus elegit recumbit.

Omnipotens Deus, illi qui eos reperiet, in omnibus negotiis divinam ſuam benedictionē largietur & dabit ipſi potentiam omne malum opprimendi & bonum eruendi, quô neceſſaria quoque à Deo impetrari poſſint, qui mundum ex nihilo à ſe conditum in nihilum rurſum redigere poteſt; adſint ſimul filius & Spiritus Sanctus, benedicta Trinitas in ſecula ſeculorum. AMEN.

Primo inquit *Paracelſus* in hâc ſuâ Prophetia homines eum è ſepulchro tracturos, verſuſque occidentem poſituros; quis adeo ſimplicis ingenii foret, ut credat hoc ſecundum literas eſſe accipiendum? quid utilitatis & honoris ad *Paracelſum* inde rediret, ſi oſſa ipſius effoderentur, aliumque in locum transportarentur? quod ſi ipſe adhuc in vivis eſſet, ne quidem meliorem & præſtantiorem ſibi optaret tumulum, quam in quo recumbit; Tantæ enim vivens non fuit ſuperbiæ; minime illum fugit mundi hujus honores fluxiles & vanos eſſe; nec unquam in ſui honorem Epitaphium erigi exegit; quanquam, cum amici ipſius illum in loco honeſto deponi curaſſent, Magiſtratus in teſtimonium actorum, lapidi ſepulchrali præclarum Epitaphium inſculpi mandaverit, quod ipſi ſat laudis adferet, dum mundus erit. Hoc igitur ſic ſonat.

EPITAPHIUM TEOPHRASTI PARACELSI,

Quod Salisburgi in Noſocomio apud S. Sebaſtianum, ad Templi murum erectum ſpectatur, lapidi inſculptum.

CONDITUR HIC
PHILIPPUS THEOPHRASTUS
INSIGNIS MEDICINÆ DOCTOR, QUI
DIRA ILLA VULNERA
LEPRAM, PODAGRAM, HYDROPISIM, ALIAQ. INSANABILIA CORPORIS CONTAGIA,
MIRIFICA ARTE SUSTULIT
AC
BONA SUA IN PAUPERES
DISTRIBUENDA COLLOCANDAQ. HONORAVIT:
ANNO M. D. XLI. DIE XXIIII.
SEPTEMBR. VITAM CUM
MORTE MUTAVIT.

QUā ratione majori laude poſt obitum affici potuit, quam quidem hoc ipſo Epitaphio factum video. Non eſt tamen quod ſententiam meam

meam inſtar Euangelii haberi velim; eam tantum apponere placuit, ut pateret, quid ego hâc de re ſentirem, quilibet credat quod libuerit, ad me quod attinet, prædictionem ſecundum verba explicandam eſſe nentiquam credam. Quod autem dicatur ipſum ex ſepulchro hoc in aliud ſcilicet verſus orientem poſitum iri, ita interpretor. Quod ſi qui ſcripta ejus intellexerint, inde quantus qualiſque fuerit perceperint, adeoque cauſam ipſius ſuam fecerint, ſcripta contra inimicos Zoilos, atque ignorantes, qui æquè poſt mortem, ac dum in vivis erat in hunc uſque diem inhumane admodum eum exceperunt, & mendaciis, libelliſque famoſis quaſi oppreſſerunt, defenderint: ex obſcuro ipſius tumulo ipſum auferunt, & verſus orientem collocant, quo cuivis patefiat, quam vir incomparabilis fuerit, ad quod, permittente Deo, opellam meam, exiguam quamvis, conferre haud recuſabo.

Poſtea addit tres eſſe ingentes, Theſauros abſconditos quos qui invenerit, eum ut inventorem magnifice triumphaturum. Loca hæc, quæ *Paracelſus* deſignat, ubi Theſauri illi occulti, ſunt ubi mineralia effodiuntur, & quidem talia in quibus ſumma tinctura latet, quæ aliás neque in auro, neque in argento, neque in aliis omnibus metallis aut mineralibus reperiuntur. Arbitror *Paracelſum* hæc mineralia cognovisse,

viſſe, tincturam ex illis compoſuiſſe, indeque ejuſmodi theſauros obſcure adeo deſcribere voluiſſe.

Ille qui inveniet, hoc eſt effodiet, tincturamque inde parare ſciet, procul dubio magnificet, maximè ſi eos aliis patefacere velit.

Credo verò quod ſi hæc, à pio, probo, & ſapiente viro effoderentur, (reprobis enim repertio denegatur) ipſum haud vanam gloriam affectaturum, ſed ſe, hoc ſcire contentum fore; qualis autem hæc minera ſit, cui Deus ſingularem ejuſmodi tincturam indidit, & quam ſuperbis ac avaris abſcondidit, aperire haud convenit. Quia verò omnia in manibus Dei reſident qui ſuis ea quæ aliis denegat, dare poteſt, nullus metuo quemlibet adeo facile profunde latentem theſaurum exhauſturum, etſi hoc ſubjectum notum fecero.

Hoc expertus ſum, multò excellentiorẽ tincturã in ipſis latere quam in aliis metallis ſive mineralibus, me vero univerſalem tincturam inde exhauſiſſe, fixamque reddidiſſe haud jacto, tempus enim & occaſio hactenus permittere noluit. Particulariter verò ſæpenumerò lunæ gradationem ejus operâ inſtitui, ſic ut fixi aliquid ☉ reliquerit. Ex quo notavi, multa præclara atque utilia effici poſſe, cum tinctura ea volatilis lege artis fixa redditur & fluida. Si Deus & vitam & vires conceſſerit, periculũ faciã viſurus quid ſim accepturus.

No-

Nomen ſubjecti quod concernit, Magneſia Saturnina dicitur. Quæ inter Galliam & Hiſpaniam in montibus Pede-montanis reperitur, vulgo Magneſia Piemontana vocatur, ſed valde diſſimilis eſt, quædam enim fuſci coloris eſt, quâ veneti vitriarii utuntur dum vitrum parant, ut pellucidum & perſpicuum fiat. Vitrum initio colorem purpureum ſive ametiſtinum recipit, qui tamen ſpatio unius horæ ſubjecto non inhæret, ſed evaporat, eo quod nondum ſatis fixus, ac vitrum omnino lucidum ſit, quod ſi autem vitrum purpureo colore retinere velint, illico illud quamprimum Magneſia in eo liquefacta, ad uſum applicare tenentur.

Plurimos ante annos cum adhuc minoris conſiderationis rebus operam darem, cryſtalloſque in varii generis coloris vitra commutarem, purpureum hunc colorem in igne haud fixum eſſe expertus ſum. Magneſiamque multum impuriratum habere, unde vitra mea obſcurabantur. Attamen tincturam puram arte inde elicere, ac ab immundis fecibus liberare, ad quod variis menſtruis uſus ſum, haud prætermiſi, at nil effeci, donec tandem Magneſiam iſtam nitro fixo permixtam, in crucibulo forti coctione à nitro reſeratam vidi, unde elegans color purpureus provenit, maſſam hanc effuſam in pulverē redegi, aquâ calidâ extraxi, per filtrum liquorem tranſmiſi. Tandem vero elegantiſſimum purpureum,

igneum,

igneumque liquorem accepi, qui ferè ſingulis horis in frigore tantummodo conſiſtens colorem permutavit, ſic ut jam viridis, jam cœrulei, jam ſanguinei coloris ſponte ſuâ factus ſit, mox iterum alios elegantiſſimos colores receperit. Ex quo liquore de novo puriorem partem ſeparavi, & hoc rubicundo pulvere uſus fui ad vitra mea tingenda, quod quidẽ adeptus ſum, ſed quia tinctura ipſo lapide viridi undè extracta fluxibilior erat, intermittere coactus fui. Hoc tamen expertus ſum maximam tincturam in dictâ Magneſiâ latere, abinde rem etiã altius mente revolvi, Magneſiam ita fluxilem ☽ adjunxi, ac aliquid ☉ inveni, ſed ad pleniorem perfectionem ob defectum temporis, occupationumque copiam, opus perducere nequivi. Ejus ſum ſententiæ (permittente Deo) tincturam inde elici poſſe ad metalla, animaliaque. Hi quidem mei ſunt conceptus, bene autem novi, ignorantem Momum cauſam me eludendi hinc ſibi arrepturum, quod impedire minime queo.

Hæc in Alpibus Juliæ Magneſia Saturnina multò eſt purior ac præſtantior eâ quæ piemontana, quin etiam plus illi tincturæ ineſt, quam ope nitri extrahere facillimè poſſumus, & quamvis fulvi coloris minera ſit, tinctura tamen Salis-petræ beneficio inde elicitur elegantiſſima, coloris virideſcentis, ſimiliter modò purpureum, modò cœruleum, modò rubicundum & mox ite-

iterum viridem colorem aſſumens, quæ etiam ita fluxilis unamquamque ☽ figet, & aliquo modo inauratam efficit. Hæc duo mineralia ſæpenumero tractavi, viridemque Leonem exinde acquiſivi, ulterius vero non proceſſi.

Tertius Theſaurus inter Sueviam & Bavariam hiſce duobus haud multũ eſt diſſimilis, procul omni dubio ejus generis Theſauri & multis aliis in locis, ubi montes & fodinæ inveniuntur, ſe offerrent, modo legitima effodiendi maturandique ratio nobis cognita eſſet, quæ cognitio nonniſi filiis Dei conceditur.

Hæc tantum indicare volui, ut quænam mea de iſtis theſauris ſit ſententia, conſtaret, firmiter enim mihi perſuaſum habeo, univerſalem medicinam inde præparari poſſe, imprimis ex illo quod ſplendente metallo plumbaginẽ repræſentante, omni modo ſcatet, nec tamen ob ſummam volatilitatem metallum ullum fuſione exhibet, eò quod vaporis ſpecie omne avolet. Septentrionalis nihilominus ille Leo corrumpere ipſum valet, ſuoſque fœtus eo pinguiores efficere. Quod ſi deus donaret aliquem tali Theſauro is plures ſanè artificia continentes libros inveniret quam quidem neceſſe.

Quod *Paracelſus* addat Leonẽ ex Septentrione, poſtquam prædictos Theſauros invenit potentem Monarcham futurum, creditu facilè eſt, effoſſis etenim Theſauris locupletatur, pro lubitu

res

res ſuas tractare valet. Regna integra aliis dono dare poterit, & tamen potentia ipſius non diminuetur, bona itidem præcepta, & politiam inſtaurare poterit, ubi ſumma rerum omnium affluentia aderit, ſicut nullo indigeat. Multi probiorem vitam agerent, ſi non paupertate, & neceſſitate malè facere cogerentur. Neutiquam mercator falſas merces pro bonis venderet; Juriſconſultus iniquam cauſam defendendam ſuſciperet; Medicus ægrotantium miſerorum curã ſuperficialem adeo haberet; Concionatores ita ſuis auditoribus indulgerent, contra conſcientiam dicerent; Imo omnes adeo ad bellum proclives forent, (in quo & ſanguinem humanum profundi, & regiones devaſtari notamus) ſi non habendi cupido; ſic nec ita injuſte varii judices jus dicerent, ſi donorum non haberent rationes; nec Magiſtratus ſubditis ſuis ſic bona eriperet, ſi aliàs auri atque argenti particeps fieri poſſit. Omnia hæc vitia Leo Septentrionalis, ubi Theſaurum invenit, abolere, ac contrà bonam politiam, pacem & quietem recuperare poteſt. Opes enim & divitiæ litem in pacem tranſmutare valent, quas Sept. Leo abundanter exhibere poteſt, ut adeo meritò titulo potentiſſimi Monarchæ inſigniri queat. At verò ſi eidem malus ſocius ſulphur ſcil. jungatur, quod ipſum irritet, venenoſior Baſiliſco evadet, momento homines, beſtiaſque interficere, imo arces, montes, & forti-

tifi-

tificationes ruere, atque annihilare potis eſt. E contra verò cùm theſaurum invenit cicur, & liberalis fit, iram omnem deponit, omnibuſque dona dat varia, gratiſſima.

Porro inquit *Paracelſus*: Fulvum Leonem ex Septentrione venturum, qui Aquilæ ungues hebetes reddet, quæ ſanè unicè intelligenda ſunt de tranſmutante virtute Saliſpetræ ad perfectiorem augmentationem metallorum, unde ☉ & ☽ cum carbunculo acquiri poſſunt, plurimum conferente, minime verò de Rege quodam Septentrionali, Aquilaque Romana. Fulvus etenim igneuſque Leo, de quo hîc agitur, hoc eſt Nitrum fixum, ſi jungatur aquilæ volatili, id eſt ſali volatili corroſivo, hæc ab illo ſuperatur, domaturque, quia corroſiva vis quâ pollet aufertur, ut adeo chymiæ expertus ſatis intelligat, quid *Paracelſus* intenderit, Præpotentum & Monarcharum illorum nullam rationem habens, ut colligere eſt ex ipſius Manuali, ubi ſcribit, Rubri Leonis ſanguinem cum albæ aquilæ liquore commiſcendum, atque ex iis coctione juſtâ univerſalem tincturam extrahendam eſſe.

Male igitur illi faciunt, qui P*aracelſi* ſcripta & prædictiones haſce aliter interpretantur. Magno deſiderio exteros deſiderant Monarchas, ſed experientia docuit, illos Leones nil ſecum adferre præter ventrem famelicum, qui vix ovibus & agnis omnium regionum bene expleri

G po-

poteſt. Deus illos à nobis avertat, pacemque & concordiam continuare velit, quod maximè optandum.

Ulterius inquit *Paracelſus* theſaurum & ſecreta recondita, quæ detegere coactus fuit, viam proximam ad deſcriptionem lapidis Philoſophorum præbere, quem ſi quis invenerit, januam aperire cognoſcens, carbunculum is ovi magnitudine juxta cum aliis gemmis inveniet, quæ capſulâ ex gemmis auroque confectâ conſervantur, hæc ſepulchro aureo, aureum argenteo, argenteum ſtanneo, cui ſuper impoſita clavis.

Numquid ergo ſtolidus adeò quiſpiam erit ut allegata ſecundum verba interpretetur. Nullus ſane niſi lumine naturæ privatus. Nunquam auditum, carbunculum ovi magnitudine repertum fuiſſe, neque Romani, neque Græci aut Perſiani Monarchæ habuiſſe talem feruntur, unde igitur eundem *Paracelſus* ſolus habuiſſet.

Vident itaque omnes Prophetiam hanc nequaquam verbotenus eſſe accipiendam. Quod verò univerſalem medicinam carbunculum vocet, in eo non peccat, quia & alii Philoſophi tincturam ſuam hoc nomine donarunt, atque hoc ſolum ob formam quam habet, nam ſi tinctura quædam candida metalla flavum in ☉ tingere debeat, rubicunda ſit neceſſe eſt; undè etiam quidam Philoſophi tincturam ſuam Hæmatitidem vocant, ſimilitudinis ergo.

Imò

Imò cum de carbunculo referatur, ipſum noćte inſtar prunæ ſeu carbonis ardentis lucere, & tamen lapis ejuſmodi nullibi aut viſus ſit, aut repertus, neceſſariò ſequitur, quæ de eo traduntur, non ad verbum eſſe intelligenda. Gemmariorum primarii ne quidem ſe eum vidiſſe teſtantur. Rubini Orientales Gemmarum rubrarum nobis notarum præcipuæ habentur, quorum vix unus qui magnitudinem unguis ſuperat invenitur, qui etiamſi purus & lucidus, multis millibus ducatorum venit. Granati itidem rubri ſunt, at vilioris pretii, nocte haud magis ac Rubini lucent. Quod autē carbunculo nocturna inſtar prunæ ſcintillatio tribuatur, haud ſine ratione factum, neutiquam ſanè ejus rei authores habendi ſunt mercatores gemmas continuò tractantes, acſi ejuſmodi lapidem vidiſſent unquam, ſed Philoſophi ipſi, utpotè quorum verba quæ de præparatâ tincturâ ſcripſerunt, falsè verbotenus ſcriptores poſtea accipienda eſſe voluerunt, quaſi in rerum naturâ carbunculus ejuſmodi daretur ſibi perſuadentes. Veteres itaque Philoſophos ejuſmodi lapidem qui nocte luceat, revera deſcripſiſſe, haud eſt quod inducamur credere, quin potius nobis perſuadeamus, veritate rei victis, illos neutiquam naturalem, ſed arte præparatum lapidem, ſuamque tincturam intellexiſſe. Quod etiam nomen ipſum indicare videtur, carbo enim prunam majo-

 rem,

rem, carbunculus vero minorem ſignificat.

Quod ſi quiſpiam cœco huic, ſuperbo ac impio mundo juramentis comprobare conaretur, ex carbone ligneo vel lapideo rubicundum ejuſmodi lapidem nocte lucentem confici poſſe, omnibus certe ludibrio exponeretur, meraque figmenta proponere diceretur, & hac de causâ nullus unquam, licet vel maximè de rei veritate certus, eâ de re quidquam ſcribere auſus fuit.

At inquiet aliquis, unde tu hæc ſcis, & quibus notis hac in re tibi fidem tribuendam eſſe probas, cum nullus hæc ita ſeſe habere unquam ſcripſerit? cui reſpondeo me unicuique liberum relinquere, velit dictis hiſce meis fidem dare nec ne, mihi perinde eſt. Dico tamen me ope ſalis (ſed non communis) atrum omnino carbonem ſpatio horæ unius in rubicundiſſimum lapidem fuſione mutare poſſe. Carbones enim nil aliud ſunt quam fixum & volatile ſulphur, quod ſi fixum volumus, tale evadet, ſin volatile, & tale erit. Carbo ligneus (magna tamen eſt differentia inter illos) licet vel per centum annos vaſe quodam ferreo, arctiſſimè, ita ut nil aëris ingrediatur, concluſus, in igne etiam vehementiſſimo detineatur, ne quidem leviſſimum conſumptionis aut immutationis indicium exhibebit, accedente vero aëre, uno momento in cineres redigetur. Intellectu ſenſuque ſi vales rem hancce tecum prolixius perpende, multa reperies utilia

lia & bona, ſi Deus oculos animi tibi aperuerit Rubicundus hic lapis, vitri formam habens, ex crucibulo effuſus, in tenebris carbonis ardentis inſtar ſplendet, ex quo, ſcil carbone, eum etiam comparari noſti. Et quamvis vitrum hoc multa bona in Medicinâ & Alchymiâ præſtare poſſit, neutiquam tamen Philoſophorum lapis eſt, carbunculus ipſis dictus, qui fixus ignique reſiſtens eſſe debet, quod utrumque vitro huic denegatur, cum volatile adhuc ſit, igniſve vi facile mutari queat.

Lapidem hunc ex ſale & carbone aliquoties compoſui, ſed nunquam tempus mihi fuit illa ad perfectam fixationem redigendi, ideoque quid ulterius ex illo confici poſſit certo determinare nequeo. Hujus tamen amatorem Divinorum miraculorum inſcium nolo, quod ſcil. dictus meus lapis carbonis, ſivè carbunculus ruber, ſi in aëre ſolvatur, viridem igneum liquorẽ exhibeat, cujus illiti ope unumquodque ☽ more ſulphureo inauretur. Si vitam & vires Numinis clementia ſuppeditaverit, & inimici mei occaſioque permiſerint, aliquando, ut quid inde ſperandum ſit patefiat, fixationis opus inſtituam.

Dic Lector amice, qui nulli parti addictus, annon ex breviſſimo hocce de Carbunculo diſcurſu, plus ad te lucis redundaverit, quam ex obſcurâ J H S. lucernâ, in quâ plurimorum

quidem authorum nomina citantur, aſt nullius ſcripta explicantur, quod magis eſt in labyrinthum alios deducere, quam viam veram monſtrare.

Addit *Paracelſus Carbunculum capſulâ ex auro gemmiſque fabrefactâ recondi, hanc capſulâ ſepulchrali aureâ, hanc argenteâ, hanc denique ſtanneâ*, quæ ſanè verba haud magis ac præcedentia alio longè ſenſu quam proferuntur ſumenda ſunt; ad quid enim capſularum ſepulchralium ea multitudo atque varietas. Hæc mea hîc opinio; quandoquidem (ut *Paracelſus* lib. vexat. teſtatur, dum inquit: Aurum multum Jupiter, & non parum argentum habet,) in ſtanno ☉ atque ☽ ſpirituale deliteſcat, ☽ autem ☉, ☉ vero tincturam contineat, de iis quaſi capſulis ſepulchralibus nos hæc intelligere debere.

Dicat aliquis, cui ergò uſui ſtannum atque argentum, ſi ea prius removenda ſunt, antequam ad capſulam ſepulchralem auream perveniamus, carbunculumque continentem impetrare queamus? nonne mox ab initio lapidem talem in ☉ quærere poſſemus, ſtannum atque ☽ intacta relinquentes? objectioni huic facillimè ſatisfacere poſſem, rationemque cur *Paracelſus* talia ſcripſerit ſufficientem reddere, ni improbis Zoilis ejuſmodi magnæ conſiderationis res communicare inconveniens judicarem.

Hoc tamen hîc prætermittere non poſſum, li-

liquorem ſcil. mercurialem excellentem in Jove deliteſcere, clavis illius qui ſepulchro incumbit, hoc eſt Salispetræ beneficio indè extrahendum. Liquor hic Mercurialis ☽ repagula ſolvit, eamque ad id quod in ☉ optimum eſt extrahendum aptam efficit, ex quo poſtea Carbunculus paratur, ☉ enim omne ſeminis minimè naturam refert, ſed domunculæ aut integumenti, ſemen in ſe continentis, vicem ſolum gerit, quod neceſſariò auferre debet, qui ſemen ipſum exigit.

Quam appropriate genus metallicum malo vegetabili comparari queat, aliis locis indicavi. *Saturnus* arboris radix eſt; *Mars* truncus; *Iupiter* trunci cortex; *Mercurius* ſuccus intra corticem truncumque contentus; *Venus* folia vireſcentia; *Luna* flos albicans; *Sol* fructus aut pomum arboris ſemen vegetabilis continens. Ut enim pomum ipſum ſemen arboris haud eſſe, ſed verò nucleum interiori ejus parte reconditum, ſic ut pomum ſemen ſolummodo cuſtodiat, omnibus conſtat; ſic & ☉ ſeminis metalli rationem neutiquam habere, quin ſemen tantum conſervare veroſimile eſt. Cui jam clavis vera obtigit, quam capſulæ ſepulchrali aureæ *Paracelſus* impoſuit, intimum nempè ſalis Nitri, is non ſolum capſulam ſtanneam, verum & argenteam aureamque reſerare, eamque quæ carbunculum aliaſque gemmas continet, ex eâ auferre poterit.

Hæc ſunt quæ de Carbunculo illo magno Capſulis ſepulchralibus profundè adeò delite-ſcente ex opinione mea proferre placuit. Aliis alia proponere permitto; veteribus enim perti-naciter pro ſuis conceptibus, tanquam pro aris & focis pugnantibus hæc minimè offero, diffi-cile cum ſit canem antiquum loris aſſueſcere, ſed iis ſolis, qui veræ Medicinæ Hermeticæ ſtudio-ſi juniores ſunt, nec ex lectione plurimorum authorum in varios errores jam abducti. Etiam maxima arcana ſimplici omninò ſtylo pertractā-da eſſe, nec ullo modo prolixitate eadem indige-re qui credere recuſat, optatam metam nun-quam attinget, licet vel omnium Philoſopho-rum libros memoriter recitare valeat. Atque hæc hoc loco ſufficiant.

Ultimò ſub finem Prophetiæ *Paracelſus* addit: Deum opt. Max. inventori horum theſaurorum potentiam, fortitudinemque ſummam, quâ ma-la omnia opprimere, bona patefacere, & quic-quid utilitatem habet impetrare queat, con-ceſſurum. Certè quicunque Univerſalem ejuſ-modi inveniet Theſaurum, noxium omne ſup-primere, & quicquid contra humano generi ullo modo ſalutare, neceſſariumque, quantum poſſibile detegere allaborabit. Philoſophi enim dicunt: *Ars noſtra vel invenit virum probum pium-que, vel etiam talem efficit*; hoc eſt, impoſſibile om-ninò eſt, impium ejuſmodi poſſe eſſe, cui the-

ſau-

ſauri tales obtigerint, ſic ut magnificienda illa Dei dona ipſi ad probitatem, miſericordiamque incitamentum haud præbeant.

Quî poſſet homo, tantis à Deo bonis donatus, tantæ malitiæ eſſe, ut aliquem, à quo nullum unquam detrimentum paſſus eſt, contemptui haberet, calumniis læderet & vexandi animo in litem traheret? Nonne potius extremam adhiberet diligentiam, ut nullum diſſidium moveretur, & motum jam, quantum fieri poſſit, componeretur? An non ſui officii crederet, omnes totâ viâ aberrantes in rectam viam reducere? indoctos docere, ægris medicamenta communicare, egenis conſilio & re auxilium præbere, imo omnibus ſine diſcrimine perſonarum, bonis æque ac malis, benè facere. Talia Deus opera exigit, ſi quando alicui talem Theſaurum Univerſalem dono obtulerit.

Niſi brevis eſſe ſtuduiſſem, hanc *Paracelſi* Prophetiam, clariorem reddere, & manifeſte probare potuiſſem, illam ſecundum ſyllabas non eſſe intelligendam, ſed *Paracelſum* ad magnum hoc *Vniverſale Philoſophorum* reſpexiſſe, quod hæc verba, quæ ſub finem ejuſdem Prophetiæ habentur, clare ſatis innuunt: *Vt omnia mala opprimantur & omnia bona eruantur, ſimulque omnia neceſſaria & utilia acquirantur.* Hæc verba aperte ſatis Univerſalem Theſaurum Philoſo-

loſophorum indicant, quo omne malum opprimitur, & omne bonum eruitur, omniaque neceſſaria & utilia acquiruntur. Tali modo ego illa concipio, alius alio modo, utcunque libuerit interpretetur. Cum enim Leo Theſaurum Mineralem dictum invenerit, in tantam & excandeſcentiam & potentiam incitabitur, ut facili negotio Aquilæ, hoc eſt adverſarii ſui, unguium aciem hebetare poſſit. Aquilæ impoſſibile eſt Theſaurum talem acquirere, Leoni autem facillimum, nullum enim datur in rerum natura ſubjectum, quod Leonem igneum adeò potentemque facere queat, quam quidẽ Magneſia Saturnina, quapropter facile corroſiva omnia domat & ungues eorum præſcindit. Quæ hic adduco, experientia atteſtatur, ideoq; plura adferre nolo. Hoc tamen de naturâ proprietatibuſque Leonis & aquilæ ſuperaddendum cenſeo.

Satis ſuperque conſtat, Aquilam omnium volatilium, Leonem verò omnium quadrupedum Regem nuncupari. Non, quaſi verò Aquila maxima inter aves, & Leo inter Quadrupedes fortiſſimum maximumque eſſet animal; minime gentium; dantur majores & aves & quadrupedes, quam Leo aut Aquila; Anſeres, Cygni, Ciconiæ noſtrates Aquilam magnitudine vincunt, taceo adhucdum de aliis magnis avibus, in Aſia, Africa, &c. inter quas recenſetur Struthius, qui equi inſtar, Equum veloci-

citate curſus exſuperat. Ingentis talis ſtaturæ quoque ſunt Rinoceros & Elephas, qui Leonem non magis quam ſtruthius aliæque aves Aquilam reformidant, nihilominus tamen Leonem & Aquilam tanquam Regem agnoſcunt, & quidem jure merito ob eorum animalium velocitatem, fortitudinem, aliaſque virtutes.

Hiſtorici tamen Gryphum quoque & Draconem inter aves maximaque animalia numerant; Gryphus depingitur ab iis animal pennatum dimidia ex parte Leonem, reliquâ Aquilam referens, unguibus, alis & capite aquilis ſimile, reliquâ corporis parte Leonē exhibens. Sed hæc Philoſophorum Poëtarumque fabula, per quam alia myſteria atque arcana patefacere voluêre. Nuſquam etenim in toto hoc Syſtemate talis invenitur draco qui volat per aëra, aut ignem exſpuit; ſed hæc omnia Salpetræ indicant. Volunt Gryphum tantarum virium eſſe, ut militem armatum equo inſidentem per aëra devehere valeat. Hæc & majora præſtare poteſt Salpetræ: Caſtella enim integra, munimenta & Propugnacula cum multis hominum myriadibus ad aëra tollere valet; utinam hoc tam notū non eſſet. Philoſophi ſuum draconē inter alias aves tantummodo adumbrarunt. Noſter draco nunquam moritur, niſi ope fratris & ſororis ſui, hoc eſt fixi Leonis, & corroſivæ fluxilis Aquilæ, quod etiam de Gryphis prædicari poſſet: nam ex fixo arden-

ardente Leone, &fluxili corroſiva Aquilâ, nil niſi Gryphus creatur, ex parte Aquila, ex parte Leo, qui ſummæ molis montes ad æthera extollit, cum inter ſeſe digladiantur, ſeſe invicem obtruncant, & ex mortuo cadavere reſuſcitantur. Sic ex Grypho alii Leones aliæque Aquilæ regenerantur, & ſi libuerit, Aquila æque ac Leo vulgari aliarum ferarum carne eſcari & ſaginari poteſt, ut deinde innumeros generent Gryphos, quibus non ſolum in bello contra hoſtes, ſed etiam in montibus ad effodiendos Theſauros, & effoſſos in nidum deportandos, uti licet.

NB. Fertur Gryphus multum colligere aurum, quod in nidum ſuum defert. Sed hæc omnia de viribus & virtutibus Salispetræ ſunt intelligenda, de quo prolixior multoque clarior eſſe poſſem, ſi ob impiam ſceleſtorum turbam non prætermittere cogerer.

Jam cum Philoſopho Virgilio tenebroſum Antrum, Speluncamve Sybillæ ingrediamur; & videamus, num libellum (hoc eſt, Salpetræ) in quo omnia naturæ ſecreta habentur, ibidem invenire poſſimus. Vel potius cum tribus Magis aut Regibus ex Oriente adventantibus ſtabulum intremus, & filium ex Virgine natum, mundi, Regumque omnium Regem ibi quæramus, & debitis muneribus ornemus, ut ætas & vires ejus increſcant, & augeantur, & tandem trium ſuorum fratrum, ut *Vegetabilis*, *Animalis* & *Mi-*

neralis

neralis morbos pellat. Auro, Myrrha & Thure infans hic ad ſuſtentationem non eget, neque inde potentior fiet, ſed ipſi Auri, Myrrhæ & Thuris loco multiplicandi ergo alias tres ſpecies donabimus; vicem auri implebit vulgare ſulphur; myrrhæ, vulgare Sal; thuris, virentes ramuli externi abietis aut ſambuci; exindè ipſi lectum ſternemus, hæcque erunt ipſius involucra. Sal, quod ſulphure animatur, & in lac convertitur, cibus ejus erit, tamdiu donec magnus fortiſque ſatis imò potens Monarcha factus ſit, tumque tutori ſuo Joſepho pro laborioſâ tutelâ luculenter remunerabit.

Magi & Philoſòphi infantis noſtri ſtellam obſervârunt, quæ tam lucide micat, ut intuenti obfuſcetur viſus, neque ſine viſus detrimento eandē diu aſpicere quis poſſit, unde merito *filius Solis* nuncupatur; nam extra ſolem nulla datur clara lux, ideoque Ruſtici talem ſtellam non animadvertūnt, Chymici vero, quandocunque placuerit, tale lumen ipſi conficere & videre poſſunt.

Haud ſpero, aliquem hoc ſiniſtre interpretaturum, quod per ſimile loquar, & Salpetræ Infantem à virgine in ſtabulo natum appellem: nemo me ignorare autumet, magnum hîc dari diſcrimen, inter natum Jeſum, & Nitrum, is quippe peccantis generis humani Redemptor & Salvator, quamvis in ſtabulo ſit geni-

nitus, cœli tamen ſanctorumque cœleſtium Monarcha factus eſt; hunc adoramus, hunc honoramus & laudamus ob glorioſam nativitatem, naturæ humanæ aſſumptionem, acerbam paſſionem & mortem, lætam reſurrectionem, victorioſam ad cœlum adſcenſionem, & S. Spiritus miſſionem, qui aliquando venturus eſt ut mundum igne devaſtet, & fætentes maximè hircos à lactantibus & lanigeris ovibus ſeparet, quod omnes pii avidiſſimo pectore expetunt, quæ omnia à nullo comprehendi poſſunt: hinc Judæi, Turcæ reliquique Ethnici, quorum cor induratum eſt, illa credere nolunt. Horum gratia, quô oculis eorum eximatur feſtuca, miſerandam hanc Salispetræ nativitatem naturali ſimilitudine enarrare volui, contra quæ nihil opponere poſſunt, verum credere coguntur, quia hæc ab homine in rebus naturalibus fieri poſſunt, quare à Deo plura majoraq; præſtari non poſſent. Obmuteſcere debet quicunque ex cæcitate & contumacia credere non vult, Chriſtum Jeſum, à ſanctis Prophetis diu prædicatum Meſſiam, per quem corruptum genus humanum à Satana liberatum, & cum cœleſti Deo Patre in gratiam rediit, exiſtere poſſe.

Quæ hic de nativitate Salispetræ narro, intellectu ſunt facillima. In ſtabulis naſcitur, Parens ejus eſt Sol, Luna eſt mater, ventus ſemen paternum ſpiritualiter in madidam ſtabuli terram defert,

fert, ex quo prægnans facta virginea Terra poſt debitum tempus uterum in lucem expo-nit.

NB. Illa Terra, quæ herbas, gramina & metalla producit & conſervat, mater appellatur; Terra autem illa, quæ talia non producit ut in ſtabulis &c. adhucdum virgo cenſetur, quæ poſtea tam nobilem prolem edit. Nulla Terra, ex qua Herbæ, Arbores & Mineralia enata ſunt, unquam rurſum concipit, aut unquam talium productionem intermittit, & eam ob cauſam omnium rerum mater dicitur. Illa autem Terra, quæ reperitur in ſtabulis, quæ neque ſolares neque lunares concipit radios, neque Pluvia neque Rore irrigatur, nihil producere valet, niſi Radii à ſole per aëra in eam immittantur, tumque prægnans virgo in ſtabulis parit ſobolem, quæ à Philoſophis triplici donorum genere ad conſervationem afficitur; nempe ſulphure, loco Auri, fixo eo itidem & puriſſimo; ſale loco myrrhæ, quod purum & præſervativũ eſt, & loco ſuaveolentis Thuris, ſucco aut reſinâ abietis vel ſambuci. Hæc tria infantis novi ſunt alimenta. Virentes abietis aut ſambuci ramuli lectum ipſi ſubminiſtrant in cunis; Sulphur & Sal dulce lac præbent nutriendi ergo; nihilo igitur quam bono Tutore Joſepho, qui pluviam frigidumque aëra ab infantis hujus lectulo arcet, opus habet. Tali pacto tenerrimum noſtrum in-

fan-

ſantem nutrire & ad regiam ſuam Monarchiam elevare poſſumus, eò cum pervenerit omnes fratres ſuos ſanos diviteſque facere poteſt, nam Vegetabilia utilia alimenta tantum deſiderant, ſive pinguem terram quærunt, ex qua ſani perfectionem ſuam conſequi, & ſeſe augere poſſint, quod Salpetræ ante omnia præſtat.

Neque Mineralia aliud expetunt, quam ut impuritas & ſulphur ſuperfluum ipſis auferatur, quô poſt perfectam purificationem ſemen ſuum, hoc eſt Aurum, ejicere poſſent: quod Salpetræ perfectiſſime facit. Deinde Animalia nulla ſibi alia quærunt alimenta, quam quæ terra ipſis ſuppeditat, quibus Salpetræ omnino adeſſe debet. Salpetræ itaque eſt omnium Vegetabilium, Mineralium & Animalium unicus ſervator, ad eum Anima humana nullo modo pertinet, quæ Jeſu Chriſti propria eſt. Corporibus autem Salpetræ eſt medicamentum utiliſſimum.

Quodcunque hoc in loco profero, idem in aliis tractatuum meorum locis alio modo, aliaque oratione conſcripſi, plura itaque ſuperaddere ſapervacuum planè puto: quicunque ad lucem hanc lucentem candelam ſuam caliginoſam accendere non poteſt, is per omne vitæ ſuæ ſpatium cæcus adeoque incurabilis erit.

Quomodo ſulphur cum Sale præparetur, ut lac Virgineum fiat, pluribus in locis jam abunde inculcatum. Quo pacto Cunæ aut lectuli formari

mari debeant ſtatim in principio hujus operis indicavi. Nihil itaque reſtat, quam quod manus admoveatur operi, ſi honorem & bona à ſummo Monarchâ conſequi optemus.

Salpetræ unicus artifex metalla ad materiam primam reducendi, aut eadem aſtralia reddendi. Nil enim aliud Aſtra, quam purus ignis, operationes igneas exercent, igneaque producunt uti per Salpetræ in fimo Vegetabilia putreſcunt, & ad perfectionem & multiplicationem reducuntur, ſine qua putredine nulla unquam Vegetabilium multiplicatio fieri poteſt, uti ipſe Chriſtus teſtatur; *Si Triticum in Terra putreſcat, nullos producere poteſt fructus.*

Eadem ratio eſt in Animalibus, præcipue tamẽ in Ovis avium, quæ antequam Pulli excluduntur, fœtere & putreſcere debent: ideo plurimi metalla ita inquinare & ad primam reducere materiam fruſtra conati ſunt; quamvis Philoſophi velint, Metalla prius putrefieri debere, quam multiplicari poſſint, non tamen talem intellexerunt putrefactionem, ſed metallorum putrefactio ope ignis fiet & fieri debebit per artifices in hac terra, uti in cœlis per aſtra metalla ſunt elaborata, naturam enim imitari debemus. Et quoniam natura omnia metalla per ignem cœleſtem generat, idcirco nulla alia via artifici eſt tentanda, ſed natura imitanda, ſi bonum aliquod efficere velit.

Vegetabilibus & Animalibus libenter humidam putrefactionem relinquimus, Metallis autem ſicca & ignea competit putrefactio, quæ ſpatio duarum aut trium horarum perfici poteſt, quemadmodum in Continuatione mea Miraculi Mundi, & Teſtimonio Veritatis, videre licet, hæcque unica cauſa eſt, contra quam plurimi impegerunt, quod nihil boni conſequantur. Ante putrefactionem non poteſt augeri, & omne quod aliis rebus putrefactionem inducet, ex duobus natura ſua contrariis conſtet neceſſum eſt. Aqua affuſa aquæ manet aqua, nilque mutatur; ex igne & aqua autem multa mira proveniunt. Si Corroſivum Spiritum Nitri, Salis vel Vitrioli, alii Corroſivo Spiritui ſuper infundamus, facile ſe recipiunt, commiſcentur ſine ſtrepitu, & nil novum inde gignitur, verùm ſemper manet acidus Spiritus Corroſivus. Si lixivium forte addamus ſimili lixivio, nullus excitatur ſtrepitus, neque mutatur. Sin autem idem lixivium commiſceamus cum Spiritu Corroſivo, alterum operatur in contrarium alterum, & ex utroque mediæ naturæ quid naſcitur, quod neutrius ſimilitudinem refert: Hoc clare patet in forti nitro fixo, ſive alio lixivio ligni, cum infunditur in 🜄, & alterum agit in alterum, ex utroque tum oritur medium quid, ſcilicet urens Salpetræ, quod omnia ad putrefactionem adigit, illorumque multiplicationem pro-

promovet, quod in vegetabilibus & animalibus aliquo modo notum eſt; In Metallis autem in hunc uſque diem à Philoſophis ſecreti inſtar fuit habitum, hincque in putrefactione, quippe quæ artificii clavis, toties erratum, & nil ad optatum finem hactenus perductum fuit.

Quandoquidem igitur metalla per Ignem putrefieri debent, nullum commodiorem reperimus, quam Salpetræ; quod horæ unius ſpatio omnia ante præparata metalla putrefacit & multiplicat, videlicet cum commoda & humida matrix Igni apponitur, in quam ſemen ſuum mittere, ut ibi multiplicetur poteſt, ſemen enim ſine matrice non multiplicatur, quod in vegetabilibus & animalibus quotidie obſervatur.

Quemadmodum autem Vegetabile ſemen pingui humidaque terrâ ad multiplicationem ſuam; animale vero animali matrice, opus habet, ita quoque metallorum ſemen metallicâ eget matrice, ſine qua multiplicari nequit: Quantò aptior & commodior eſt matrix, tantò nobilior quoque fructus eſt, & contra.

Omnibus jam conſtat, quò contraria ſunt fortiora & meliora, eo meliores eſſe fructus, ſicuti jam dictum. Quo fortius 🜅 & fixius Sal ſive lixivium confunduntur, eò melius & copioſius Salpetræ conficitur. Cum maxime corroſivos Spiritus per metalla concentramus, & adhuc magis

 cor-

corroſivos reddimus, ut & Sal fixum, perſilices concentramus & magis igneos facimus, multa mirabilia varia edunt opera. Nam cũ vulgò contraria tantum Salia præbeant, concentrata erumpentes fructus, arboribus ſimiles, elaborant, de quibus *ſecundam Furnorum partem* de *liquore ſilicum* videre licet. Hoc eſt quod percipiamus & credamus, nempè, quò contraria ſibi invicem magis contrariantur, eò majores fructus provenire. Quoniam autem ignis & aqua ex natura ſuâ ſibi mutuo valde contraria ſunt, ideo majores quoque procreant fructus, quam vegetabilia aut animalia, ſcilicet metalla.

NB. Si artifex adhuc vulgari calidiorem ignem & frigidiorem aquam excogitare, aut alicubi reperire poſſit, neceſſario quoque metalla vulgaribus præſtantiora produci debent.

Quoniam autem inter omnes non datur Salepetræ ignis calidior, frigida conjux ipſi aſſocianda eſt, & nuptiæ apud inferos celebrandæ ſunt, tum uterque filios divitiarum & ſanitatis relinquet. Per univerſam Germaniam forſan & alia regna, ita uſu obſervatur, ut, cum duo matrimonium contrahunt, ſponſus æque ac ſponſa biduum aut triduum ante celebrandas nuptias in balnea ducatur, ibique lavetur, eum in finem, ut alter alteri eò ſit charior; & licet optimas induant veſtes, & ornatu mundiſſimo ſe-

ſe

ſe ornent , omnem tamen deinde deponunt ornatum, cum ſe conjungere & multiplicare cupiunt.

Idem de Metallica nova multiplicatione intelligendum eſt. Cum utraque pars tantummodo ſana & bene conſtituta eſt, quamvis externus ornatus vilis ſit, æque pulchros poteſt procreare liberos, ac perſonæ regales, quæ ☉, ☽, Gemmis & margaritis onuſtæ decumbunt. Hinc liquet veſtes nihil ad rem facere, ſed multiplicationem ſolummodo à ſanis beneque conſtitutis corporibus pendere, quod Pythagoras quoque probe novit poſteritatique tradere voluit, dum obſervavit, metallorum animam per artem ex corpore expulſam confeſtim in proximiora tranſmigrare corpora, poſtque eorum interitum rurſus in proximiora: hinc in magnum incidit errorem, dum ſtatuit, idem quoque locum habere in tranſmigratione animæ humanæ, ibiq; eandem eſſe rationem; quod ſcilicet anima unius hominis non ſtatim in alium hominem, ſed æque in pecora, aves, piſces &c. tranſmigret; eam ob cauſam poſteri ejus, quorum magna pars Africam incolit, hoc ipſo momento ne unicum quidem vermiculum occidere volunt, metuentes nempe, ne tale aliquod animal interimant, quod Patris aut Matris animam continet: præterea innuebat animam hominis meliorem & placidiorem in Ranis quam in potentiſ-

ſimo Rege habitare. Error hic haud dubie inde ortum duxit, quod vidit metallorum animas, ex corporibus ſuis jam expulſas, proximiora & commodiora occupare ſubjecta. Quò puriusanima metallorum in ſuo diſceſſu ſubjectum reperit, eò libentius hoc occupat. Nobis Chriſtianis perfectior de anima hominis data eſt cognitio, quàm Pythagoræ: in metallis autem enunciatum Pythagoræ locum habet; quod nullus expertus Philóſophus veritate unquam refutare poteſt. Hoc certó certius ſcimus Deum mendici alicujus animam tanti quanti Regis habere, corpora autem differentiam inferunt, cum alia aliis ſint ornatiora. Docet nos etiam nobilis & haud fucata Alchymia, quod anima ♂ aut ♀ris tam bona ſit quam ipſius auri, hoc intereſt, quod eorum corpora ſint majora & robuſtiora, adeoque nobilis eorum anima ob corporum eudem craſſitiem ab inſciis contemnitur & rejicitur. Hinc curioſi naturæ ſcrutatores operam dederunt, ut craſſa illa corpora evertere, eorumque animam puram elicere & in meliora & puriora transferre poſſent corpora, quod ipſis quoque ex voto ſucceſſit, & per extractas animas, imperfecta & impura metallorum corpora, in puriſſimum aurum tranſmutarunt; neque illis ignotum fuit, craſſa & impura metallorum corpora particulariter purificandi artificium, veluti ac ægra humana corpora vi atque ope medicamen-

mentorum purificata priſtino ſanitatis vigori reſtituuntur. Cum enim experto medico impurus obvenit Patiens, quem ſanandum ſuſcipit, ante omnia, ſi forſan Scabie, Scorbuto, Lue venereâ, puſtulis aliiſque fætentibus vulneribus laboret, purgans ipſi præſcribit; quo omnes impuritates primum expellantur. Deinde ægrum uti permittit domunculâ ſudoriferâ, in quâ ſudor ita promoveatur, ut ex calore valde debilitetur. Ultimò in Conclave eum deducit aëre puro præditum, refocillationis ergo, in eoque ipſius curam gerit, uſque dum ſanitatem puritatemque priſtinam recuperavit, & quod ſi purgatione ſudoriſque provocatione primâ purus æger factus non fuerit, eadem remedia iterat, toties quoties res ipſa exegerit, ægerque perfectè ab impuritatibus liberatus.

Simili omninò modo Chymicus peritus in purificatione metallorum imperfectorum procedit; omne enim, quo ſpeciatim prædita ſunt, excrementum, impurum ac fœtidum ſulphur ſuperfluum, ignis ope, auxilioque capſularum ad ſudandum accommodatarum, expellit, uſque dum puritatem debitam acquiſierint. Ars ergò artem imitatur. Quod ſi Medici omnes Alchimiæ Aſtronomiæque peritiam haberent, capſularum ſepulchralium tantâ copiâ haud indigeremus, in iis enim ars una vera alteram de ſe continuo producit.

Aſtronomus vitæ modum terminumque homini exhibiturus, primò omnium in horam nativitatis inquirit, cujuſque conditionis aſpectus eo tempore in firmamento dominium præcipuè obtinuerint, expiſcatur, quæ ubi cognita habet, calculationis ope bona malavè puero dum in vivis eſt obtingentia prædicit.

Prognoſtica hæc licet omnimodo infallibilia haud ſint, neutiquam tamen ideò in totum rejicienda; experientiâ enim plurima quibus fidem denegamus alias, verà eſſe ſæpè experimur; nec ſine ratione eſt, quod ea magni faciamus, ſed haud coactè id fieri debet, dici enim vulgò ſolet: *aſtra inclinant, ſed non neceſſitant*. Ut enim homo aſpectu pravo ortus doctrina atque informatione probus reddi poteſt, ſic ut nullius momenti hîc ſint aſpectus. Ita & contrà aſpectu optimo editum converſatione pravorum corrumpi non rarò obſervamus. Quæ eadem Alchimia vera etiam demonſtrat. Ut enim quamprimum in lucem editus eſt infans, aëremque haurire incipit, influentias tales, ex opinione Aſtronomorum, attrahit, quales eâ horâ aſtra de ſe emittunt in inferiora, adeoque horum naturam imitatur.

Ita & recens natus infans metallicus, partus momento, aſtrum metallicum, attrahit, ſimile ei, cujus imperium eo tempore viguit, adeoque qualitates aſtri hujus qualitatibus ſimiles accipit. Et licet infans metallicus primo nativitatis tem-

tempore aſtri boni particeps factus fuerit, accidentaliter tamen poſtea infici poteſt, ſic ut metallum pravum indè exſurgat; ac è contra pravum quod initio fuit, arte, diſciplinâque ignis commodâ, eò reduci poteſt, ut optimum inde metallum proveniat, ut hoc experientia quotidiè teſtatur, nec niſi ab eo cui natura latet negari poteſt.

Quod ſi jam aſtra ſuperiora tantas exercere vires valent, quid obſtat quo minus & inferiora eaſdem ſi non majores exerceant, modo ritè ea regamus atque domemus. Superiora poteſtati noſtræ ſubjecta minimè ſunt, ſolius Dei regimini ſubmiſſa. Inferiora autem ad placitum noſtum à nobis tractari poſſunt. Medicus ea ad medicinam, Chymicus ad Alchymiam applicare poteſt. Cui jam aſtra inferiora ritè uſurpandi ſcientia conceſſa eſt, ea maximo cum honore, ſummaque utilitate præſtare poterit, ſivè Medicus is fuerit ſivè Chymicus, quæ alii gravi cum dedecore damnoque intacta relinquere coguntur. At verò pigritiei ſocordiæque nimium hujus ſeculi homines dediti ſunt, ſic ut pauci reperiantur qui naturæ arcana ſcrutentur. Plurimi ſunt qui Philoſophi docti titulum ſibi vendicant, & tamen fundamentorum Philoſophiæ veræ omninò ignari ſunt. Verorum Philoſophorum hoc ævo æſtimatio nulla ferè eſt, cum tamen ſincerè adeò nobiſcum agant, naturæque

interiora perſpicuè ob oculos ponant, ſcripta optima nobis relinquentes. Sic Pythagoras, de quo ſupra mentio facta eſt, eò quod animas metallorum ex uno in aliud deferri, atque in hoc atque ac in priori operari, adeoque & hoc animare perfectumque magis reddere obſervaverit, ſimiliter & ſe rem habere cum animâ humanâ putavit; hoc modo poſteros ſuos ad Univerſale particulareque metallorum opus quaſi ablegans.

Ad eundem prorſus modum & Virgilius fecit, dum cadaver ſuum in partes diſſecari, continuaque inſtillatione olei ardentis ad vitam reduci voluit. Forſan in eas cogitationes quod inciderit, occaſio fuit, vel quod corpora metallica emortua ignis operatione atque additione animata iterum reddi obſervaverit; ſimile & in homine fieri poſſe ſibi perſuaſum habens. Vel quod impoſſibilitatem hujus facti benè cognoſcens, poſteris cauſàm, cur tale quid in corpore ſuo perfici juſſerit, curioſius indagandi anſam præberet, adeoque multiplicationem propagationemque corporum metallicorum (ut Pythagoras animarum) digitis quaſi indicare voluerit.

Certiſſimum eſt, ei, qui Nitrum debitè cognoſcit, illudque, formâ ignis metallicis in corporibus ut operetur, efficere valet, nihil difficultatis eſſe, ad id ut multiplicetur ☉ univerſaliter, & viliora metalla perfectiora fiant parti-

cu-

cularitèr; Quod hîc addere placuit. Benè ipſi qui ad Dei gloriam proximique commodum à Deo conceſſis utitur.

Atque hæc hoc loco de Salispetræ nativitate multiplicatione, Monarchiâque potenti, pro ratione temporis dicta ſufficiant, plura, aliâ ſi Deo placuerit, occaſione.

Sequitur uſus atque utilitas Salispetræ.

POſtquam ſic generationem Salispetræ ex omni regno, Vegetabilium nempè, Animalium atque Mineralium, exhibui. Reliquum adhuc eſt, quam mira idem in Medicinâ atque Alchimiâ præſtet, paucis demonſtrare, quod neminem hactenus Philoſophorum feciſſe notamus, omnia ſibi pro ſecretis reſervantes.

Quandoquidem ergò initium rei jam ſuprà, parte ſecundâ hujus libri, fecerim, ubi de ſeparatione aliquâ humidâ ſermonem inſtitui, hoc eſt, ex omnibus etiam viliſſimis metallis aurum atque argentum beneficio aquæ nitroſæ extrahi poſſe tradidi, ſic ut quilibet modo manum operi admoveat, ſuſtentamentum ſuum uberrime indè haurire queat, benè cœpta ad finem perducam neceſſe videtur. Cum enim modum ipſum extractionis illic loci prætermiſerim, amicorum plu-

plurimi illuſtrationem dictorum efflagitarunt plurimùm, ſed eorum petitioni ſatisfacere hactenus nullo modo potui, eò quod occupationes plurimæ tempus ſcribendi mihi denegarint.

His itaque nunc aliiſque gratificaturus, nobiliſſimum hoc artificium aperire decrevi, ita tamen ut quædam mihi reſervem, ne inimicis omnia communia adeò reddantur. Quod ſi quis amicorum pleniorem explicationem deſideret, eorumque quæ omiſi additionem exigat, ejus facilè mihi erit petitioni ſatisfacere.

Non ſolum ergò hæc ars conducit ad id, ut ex omni arenâ, terrâ, lapidibus, imò auri argentique metallis vilioribus, ☉ & ☽ fixum maximo cum commodo extrahamus, ſed etiam ut ☉ atque ☽ volatile atque immaturum extrahamus, fixumque reddamus, & quidem compendioſè adeo, ut nullius ferè ſumptus aut laboris res ſit. Imò quod ſi nulla haberi poſſent metalla pauperiora, lapides, aut ſimilia ſubjecta, ☉ atque ☽ continentia, cum tamen omni mundi parte copioſè ſatis ſe exhibeant; ſummo nihilominus cum fructu ars ea exerceri poteſt circa metalla imperfectiora, qualia ſunt ♂, ♀, ♃, ♄, ☿ Calmeii, Zinck, Wiſmuthum, Cadmia, Arſenicum, Auripigmentum, Granati, Talcum, Smiris, Hematites, & ejuſmodi foſſilia, ☉ atque ☽ ex parte fixum, ex parte etiam

vo-

volatile continentia , ope Aquæ nitroſæ commodè extrahenda.

Præter hæc cum fructu itidem ex omnibus ex argento arte factis, ſivè inaurata ea fuerint ſivè non,☉ optimum ſegregari poteſt,adeò ut etiã,licet vel grana pauciſſima ☉ in portiunculâ ☽ continerentur , fructuosè ea ſeparari queant. Et quod ſi collibitum alicui fuerit , ☽ ſeparatum auro iterum imprægnare , quo ſegregatione ſequenti ☉ rurſum exhibeat,is facillimo negotio id efficere poterit, imò operatio hæc toties repeti hoc modo poteſt , uſque dum ☽ omne gradatione in ☉ tranſierit. Quæ res fodinæ ☉ perpetuo durabili comparari poteſt , ſoliuſque Salispetræ beneficio perficitur,quapropter etiam promptuarium , ſolatiumque generis humani meritò appellari debet ac poteſt. Cum enim ex ſubjectis medicinalibus Sal illud petræ paramus , non omne Salpetræ cryſtalli formam induit, ſed multum ejus aquæ permixtum manet, quæ aqua nitroſa virtute omnino cryſtallizationẽ promovendi ſummâ pollet, adeò ut etiam , ſemina ſiliginis, tritici, milii, avenæ, fagopyri, alteriuſque generis, ubi juſto tempore in eâ macerata, terræ antequam committantur, infinitis modis ſe multiplicent, ſic ut ex quovis grano 3. 4. 6, imò quandoque 20 propullulare videamus plantas.

Ex eodem etiam liquore Nitroſo , modò

veris

veris ex rebus medicinalibus paratus ſit, medicina præſtantiſſima auro potabili ferè æquiparanda, cujus ope morbi magni & quaſi incurabiles feliciter curantur, paucarum horarum ſpatio confici poteſt.

Quandoquidem ergò regium ejuſmodi Medicamentum, (cujus parte ſecunda Pharmacopœæ Spagyr. ubi de Nitro egi, mentionem feci) agrorumque optima atque incomparabilis ſtercoratio, unà cum Salepetræ, facillimè adeò & ferè ſine ſumptu comparari inſtituique queat; undè Corporis valetudo, agri fertilitas, ſivè frumenta reſpicias, ſivè vinum, lupulum, aut quævis alia, quibus ad vitæ ſuſtentationem alimenti potulentique loco homo utitur, ipſiuſvè ☉ & ☽ ex omnibus omni loco inveniendis ſubjectis abjectiſſimis extractio dependet; Annon jure debito nobis de Salepetræ, ipſum omnibus omninò hominibus utile commodumque eſſe, pronunciare licebit? quamobrem & meritò inveſtigari, hominumque in uſus transferri debet.

Ut itaque omnia quibus hominem pium indigere obſervamus, qualia ſunt cibus, potus, ſanitas, imò & ☉ aut ☽, Salispetræ auxilio uberrimè perfecteque acquirere nos poſſe videmus. Ita è contrario Salis hujus petræ uſus noxius admodum eſt, ubi malis ab hominibus uſurpatur, ut id hoc belli tempore ſatis ſuperque notamus.

Ni-

Nihilominus tamen abuſui tantum tribuendum non eſt, ut ideò minoris nobis fiat, quam reverà eſt, quin potius utilitates, quas plurimas exhibet, in id ſedulò inquirendi animum nobis addent. Mundi finis inſtat, & varia deteguntur, antiquis ſumma inter arcana reſervata, quæ tamen parvi æſtimantur. Nonnulla eorum hîc exhibebo.

Sequitur Proceſſus, Operatio, Seu

Modus, ex omnibus Metallis ☉ atque ☽ cum fructu extrahendi.

EX Metallo argenti, lapidibus, lytharg yri ſimilibuſq; foſſilibus ☽ præditis quo fructuoſe ☽ extrahere queas, primò omnium ea igni committe, ut incandeſcant, (hoc tamen arena non exigit,) hinc pulveriſa, cucurbitæque vitreæ impone, ſuper affundendo aquæ fortis q.ſ. cucurbitam hanc capellæ arenâ repletæ impone, arenamque ſenſim, ignem ſubminiſtrando, calefac, quò ſic ejus operâ 🜄 ☽ ex pulvere attrahat, 🜄 à pulvere hocce decanta, aliique pulveri ejuſdem conditionis affunde, quo & ex hoc ☽ extrahat; & hæc decantatio affuſioque reiteranda donec nihil amplius ſolvatur.

In hâc operatione 🜄 ſemper imminuitur, eò quod aliquid ejus Metallo adhæreat, quapropter

pter in locum ejus quod decedit, alia ſemper 🜅 ſubſtitui debet. 🜅 quæ Metallo adhæret, hoc modo beneficio coctionis ſeparari debet: Metallo cucurbitâ contento aquam pluvialem communem affunde, beneque agitando vitrum, miſce, hinc arenâ calidâ fac ebulliant, & ſic aqua illa calida 🜅 ex Metallo attrahet, quæ etiam ☽ continet. Poſtea abſtractâ per inclinationem aquâ hâcce, ſecundâ vice aquam pluvialem remanenti in cucurbita Metallo pulveriſato affunde, & hæc quod prior reliquerat aquæ fortis ☽ participis extrahet, ne aliquid in pulvere illo Metallico ☽ remaneat, qui hoc facto, ut inutilis omninò materia, abjiciendus venit, niſi ☉ in eo lateat, quod ſi ita eſt, aquam Regiam ipſi affundere debemus, operationem ad præcedentem modum inſtituendo. Aquam utramque fortem, tam quæ ☽ quam quæ ☉ extraxit, confunde, miſceque diligenter, & exurget indè aqua quædam ſeu ſolutio candicans inſtar lactis, ☽ enim non patitur 🜆, quin præcipitatur pulvis albus, qui ☉ ſimul ſecum ex 🜅 ad fundum rapit. Aquam decantatam ad extrahendum ☉ ex aliis Metallis uſurpare poſſumus, affuſa etenim 🜅 cum ☽ aquæ regiæ nihil omninò virium demit.

Pulveri præcipitato ☉ & ☽ aqua pluvialis calida affundenda eſt aliquoties, quo acredo omnis 🜅 is extrahatur. Pulvis ☽ chartæ emporeti-

cæ

cæ impoſitus, exſiccandus; Qua ratione a. ☽ ab ☉ ſegregari debeat in mox ſeq. docebimus. Aquæ edulcoratoriæ tam ☉ quæ ☽ omnes permiſcendæ ſunt, ſic ☽ fundum petit, & ☉ quod in aliâ aquâ fuit, attrahit, adeò ut nec ☉ nec ☽ aliquid in aqua edulcoratoriâ reliquum maneat, nec ullius utilitatis amplius hæ aquæ ſunt, in ſeparatione, ut ante, poteſt tamen ex iis Salpetræ optimum parari, ut in ſeq. trademus. Præcipitata, ☉ æque ac ☽, jam ritè edulcorata atque exſiccata, crucibulo fortiori imponuntur, crucibulum hoc igni leni committitur, uſque dum fluat materia eo contenta, quod facillimo negotio fit, fluxilis enim admodum eſt; Quamprimum fluere eam obſervaveris, effunde, ne ejus aliquid ipſum crucibulum penetret, adeoque damnum inferatur operatori. Cum ☽ effunditur, ☉ inſtar ☉ pallidioris, lateribus fundoque crucibuli adhærere notatur, crudum omninò, nec ullo modo fluxile. ☽ Effuſum friabile eſt, fluxile atque volatile, vocaturque Chymicis Luna cornua, mihi verò Mercurius Lunæ, cujus uſus excellens in Alchymia, ut ſequentia exhibebunt.

Crucibulum in quo ☉ illud remanſit, ſervari poteſt, quo præcipitata ſimilia, ☉ atque ☽ in eo denuo liquefacere queamus. Hoc ſic ſæpius peracto, ☉ hoc, addito Boracis parum, liquefiat, & accipies ☉ ſubpallidum, eò quod primâ hâc

liquatione ☽ aliquid ipſi adhuc adhæreat. Modus hic præcipitata hæc ☉ ſcil. atque ☽ à ſe invicem ſegregandi vulgaris eſt, ſequetur melior in ſequentibus.

NB. Quod ſi utraque Metalla poſt edulcorationem lixivio fortiore coquantur, aut ſi Sal fixum ex lixivio paratum, pulveriſatum, ipſis permiſceatur ante liquefactionem, ☽ cum ☉ ſimul reducitur, quæ poſtea ope 🜄 ſeparari poſſunt, adhuc tamen accuratior modus eſt, ubi calces ☽ atque ☉ edulcoratas cum [A] miſcemus, mixta retortæ loricatæ imponimus, & igne gradatim ſubminiſtrato, ſimiliter ac in deſtillatione fieri ſolet, per 6 aut 8 horas in continua conſervamus cementatione, ſic ☿ Lunæ volatilis ope [A] fixus redditur, atque corporeum, imò & partem aliquam additi [A] tingit, adeò ut hujus cementationis opera ☽ aureum magis fiat, Cementum hoc tenuiſſimè pulveriſandum, ac liquatione ſequente reducendum, ☉ atque ☽ augmentata reperientur. Liquatio talis eſt. ℞ Salpetræ optimi [A] ana, miſce, & per retortam Spirit. nitri ſepara, utpote ad ſegregationem accommodatiorem multo ſimplici 🜄. Caput mortuum in retortâ remanens, pulveriſetur, ex pulvere per aquam pluvialem nitrum fixum extrahatur, lixivium hoc ſeu liquor extrahens colorem viridem accipiet, quod coctione debitâ coaguletur in Sal, ☿ Lunæ reducere,

re , aureumque reddere, imò & ☿ cementatum reducere valens.

NB. Præſtat Salpetræ fixum aut leonem viridem cum Lunâ cornua ſimpliciter miſcere , in retorta cementare , hinc extra retortam igne fortiore reducere , augmentum ☉ optimum habebimus.

NB. Poterit & hoc modo fluore cum] A] cementatus ☿ Lunæ reduci ; ſi ſilicum igne liqueſcentium partem unam, Saliſque fixi cinerum partes 4 aut 5 permixta liqueſcendo redigamus in vitrum album, cementa optima reducere valens. Atque hic reducendi modus omnium optimus eſſe.

Præter omnes hos cementum reducendi modos, & hic inſtitui haud inutiliter poteſt. ℞ Vitri plumbi fluxilis part. 4. cementi pulv. part. 1. fac liquefiant igne forti in crucibulo ferreo , & reducitur aliquid plumbi ex vitro plumbi, ☽que accedit, quod ſupra teſtam abradi debet, & invenies ☽ auream. Quandoquidem a. plumbum à vitro plumbi fuſione in crucibulo ferreo ſeparatum colorem à ferro nigricantem contrahat, utile eſt, materiæ in fuſione aliquid Salis cinerum addere, utpotè quo plumbum depuratur, & ſic facilè ad teſtam ſeparatur. Quod ſi verò ad hoc opus metalla ☽ aut ☉ haberi nequeant, ad præcipitandum ex iis Mercurium Lunæ, artefacta ſive ſimpliciter argentea ſint, ſivè in-

inaurata adhiberi poſſunt, hæc 🜄 à præcipitatione reſidua ſolvantur, & aquâ ſalsâ aut Regiâ præcipitentur, edulcorentur, |A| miſceantur, atque in retortâ figantur. Ideò autem in retortâ hæc operatio peragenda eſt, ne ☽ præcipitatum quod volatile omninò eſt, in crucibulo magnâ ex parte evaporatione conſumatur, quod in retorta fieri haud ita poteſt, in eâ enim quod ſurſum vergit, collo ejus adhærere videmus, à quo ſeparari poteſt, & cum aliis cementis miſceri; præter id quod facilius cementum ſeparetur à vitro quam à crucibulo inæquali:, cui ſemper aliquid affixum manet, quod auferri nequit.

Cementum hoc citius purificandi animus ubi eſt, fundi id poteſt cum æqualis ponderis Antimonio, & exorietur ex aureo, ☽ Regulus, Salepetræ purificandus. Quo de opere reductorio longe faciliore, eo quod ope vitri plumbi peragitur, teſtimonio veritatis aut explicatione Miraculi mundi dilucidè & pleniſſimè egi. Hoc modo quilibet ☿ Lunæ aureus reddi poteſt, & quidem toties quoties libuerit, etiam uſq; dum ☽ omne gradatione atque cementatione in aurum mutatum fuerit. Quod ſi verò alias ☽ aurei aliquid ſeparandum aut Metalla extrahenda, ubi nihilominus ſeparata ☉ atque ☽ reducenda; hoc modo omnium commodiſſimè & fructuoſiſſimè id effici poteſt, quoniam Calx Lunæ cementatione aurea redditur. Labor hic conti-

nuum

nuum augmentum ☉lis exhibet, ex quo lautè vivere poſſumus.

Aliud Augmentum Solis.

SOlve in 🜅 ☽ vel ♄, etiam in 🜆 ♃. (NB. Argenti triplum ſemper ſit ad ſtannum) ſolutiones miſce accuratè, ubi ad fundum materiam omnem decidiſſe videris, aquam decanta, quæ vices 🜆 in ſolutione alterius ♃ ſupplere commodè poterit. NB. 🜆 ſi fortis ſatis haud fuerit, ſtannum neutiquam ſolvetur, quapropter in tali caſu 🜅 aquæ permixtam ſimplici ſtanno affundere licet, quæ poſtquam in ſeinvicem aliquamdiu egerunt, aqua ſalſa ſuper affundenda eſt, quo præcipitetur ☽ aut ♄ ad fundum vitri, in quo cinis albicans ſtanni recumbit; Materia hæc in fundo hærens edulcoranda, ſiccanda, igneque fortiori reducenda, quo opere non tantum ☽ augetur, verum & aureum efficitur.

NB. Poteſt & hoc modo res hæc tractari. Primo ſolve ♄ aut ☽ in 🜅, ſolutioni æqualem quantitatem aquæ pluvialis adde, mixtum hoc ſtanno affunde, fiatque ſolutio loco calidiore per arenam, ſolutum à materia adhuc duriore ſepara per decantationem, aquâ ſalsâ præcipitationem perfice, edulcora, ſicca, atque funde, & habebis augmentum. Quod ſi maſſa hæc fu-

ſionem averſet, pulveriſanda eſt, atque vel cum Antimonio, vitro plumbi, aut cum fluore ex ſale cinerum & ſilice parato miſcenda, quo fluxilis ſic efficiatur. Vitri ſilicum ope quod fluxile redditur, illicò purum eſt, ſecus quod ope vitri plumbi, utpote quod ſegregari debet, hinc beneficio Antimonii & ♂ in regulos reduci, Salepetræ purificandos, lavandoſque. Præſtat itaque liquationem perficere cum vitro ſilicum quam Antimonio, eò quod ☽ poſtea ſeparari debeat ſine damno, quod efficere unicuique haud adeò facile eſt.

Reductio quæ ope vitri plumbi fit, modus quidem facillimus alias eſt, at verò eo qui per Antimonium peragitur, plus ☉ impetramus, quam ullo alio modo.

Modus alius ☉ augmentandi.

℞ TAlcum aureum, Granatos, Smiridem, Hematitidem, ſcorias cupri aureas rubro viridem aureum ſilicem, arenam, aut argillam extrahe 🜂 forti ☉ volatile, ſolutioni infunde ſolutionem plumbi per 🜄 factam, beneque miſce, ubi materia ſubſederit, 🜄 per inclinationem ſepara, calcem ipſam ♄i aquâ edulcora, atque exſicca, & ſic ☉ volatile extractum ex 🜂 per ♄rū acquiſivimus, ☉ hoc volatile fixum redditur tali modo: ℞ ☉ ſub-

ſubtiliſſimum pulverem aut laminas tenuiſſimas, adde ☿rii ♄ni triplum, quadruplum, aut ſextuplum ad quantitatem ejus quo antea ☉ volatile acquiſivimus, repone loco, ubi calor lenis, ſic ut ☿ ♄ni fluere quidem queat, at ſine fumo, in quo calore per aliquot horas aut potius dies materia conſervanda, quo limaturâ, attenuatum ☉, ☉ volatile ex ☿ ♄ni paulatim attrahere, adeoque augeri ex eo queat. NB. Cùm autem difficillimum admodum ſit Calorem ejuſmodi temperatum adeò conſervare, ut nihil omninò Mercurii avolet, nec ☉ in crucibulo liqueſcat; præſtat ☉ Mercurio ♄ni mixtũ in retortâ vitreâ locicatâ, per aliquod tempus igni vehementi committere, ſic enim nihil Mercurii ♄ni avolat, aut crucibulum penetrat. Quod in collum retortæ adſcendit, ſeparari poteſt, & pro communi Mercurio ♄ni ſervari, ex quo medicina præſtantiſſima parari poteſt.

Aliud adhuc augmentum ☉lis.

℞ ARſenici rubri, Auripigmenti, Antimonii Ungarici aut Zinabaris part. I. Mercurii ♄ni part. iij. & laminas aliquot ☉, ſtent in retortâ vitrea, loco calidiore, & ſic ☉ ex additis mineralibus ☉ volatile attrahet, eoque ſe augmentabit. Quod ſi aliquid ſublimabitur in

collum retorta, id auferri ex eo poteſt, & ad aliquam tincturam reduci. Ut adeò hic & augmentum Solis particulare habeamus, & materiam ex qua Tinctura parari queat.

NB. Vas ad figendam Tincturam accommodatiſſimum eſt quod ex ♄no fixo conficitur.)

NB. ☿rius Lunæ vel ♄ni ſecreta fluxione reduci poteſt, quo fit ut illico ☽ aut ♄ auratum exhibeat, præcipuè hic ☿ Lunæ vel ♄ni, cujus ope fixum volatilevè ☉ ex terrâ lapidibus, arenâ & ejuſmodi mineralibus extractum eſt, ſimili modo reducendus eſt quo ſic ☉ volatile æque ac fixum accipiamus.

Poteſt & ☿rius ☽æ vel ♄ni artificiosè deſtillari, purificari, atque pro medicamento ſingulari præparari. Neutiquam tamen ſibi aliquis vulgari modo per retortas aut cucurbitas deſtillationem eam perfici, perſuadeat, eo enim veram ſeparationem puri ab impuro ſperare vanum omninò eſt, cum ignis bonum atque ac malum ſurſum propellat, quod ſecretiore meâ Philoſophicâ deſtillatione minimè fit, utpote quâ puriſſima anima metalli ſola ſurſum movetur, terreſtre quod remanet ab eo cui conjungitur impuriore ex ſeipſo ſeparatur, & limum conſtituit; Pars purior, capellæ cementatoriæ ope, æquè ☉ ac ☽ continere obſervabitur tam quæ eſt ex Mercurio hocce ☽ & ♄ni, per ſe parato, quamquæ ex eo cujus auxilio ☉ fixum atque volatile

latile

latile ex aquâ nitroſa eductum eſt, quæ etiam via compendioſiſſima eſt eductum volatile fixumque ☉ reducendi. Ubi enim Mercurium hunc ☽æ vel Saturni fluxionum ope reducimus, facilè pars quædam ☉ perire poteſt & evaporare, hîc autem nihil omninò perit, quod enim in dictâ deſtillatione artificiosâ non remanet, adeòque ab impuritatibus ſe ſeparat, exit, medicamentum exhibens præſtantiſſimum, ipſo ☉ excellentius, quod benè notandum.

Facillimum etiam factu eſt, animam ☽ vel ♄ni ſurſum latam unà cum ſpiritu volatili, ☉ in dicto inſtrumento figere, ad quod efficiendum alias longiore opus eſt tempore. Unico ergò hoc proceſſu & medicamentum conficitur optimum & ☉ acquiritur. Veritati maximè conſentanea ſunt, experientiæque exactiſſimè reſpondent quæ hîc verbis paucis vulgaribus admodum, proponimus. Nec eſt quod vitio mihi imputetur obſcurior nonnihil loquendi ratio, cùm conſtet, ne ullum quidem meorum anteceſſorum unquam aliquid eorum exhibuiſſe. Quid dicam, ex omnis generis Metallis ope Salispetræ ☉ optimum extrahere licet, imò tantâ cum facilitate, ut etiam incredibile plurimis videretur etiamſi vel ad verbum omnia clarè proponeremus, neutiquam tamen niſi beneficio ☉ & Lunæ. Cum enim rem aliquam augmentare propoſitum habemus, primò omnium res augmen-

tandæ ſemen præſto ſit requiritur,& prout ſemen illud exigit, matrix commoda in quâ augmentum ſumat. Exempli gratiâ. Cum ſeminis alicujus vegetabilis augmentum quærimus, terram ipſi præparamus convenientem, cui ſemen illud committimus,ſic herba ſpecie ſimilis propullulat, quæ millena ſemina iterum producit, terræ rurſum injicienda, adeoque in infinitum multiplicanda. Hæc Vegetabilium multiplicatio nota ſatis eſt, facillimumque opus Vegetabile multiplicare, modò ſemen illius habeatur, beneque conſervetur ne emoriatur. Similiter ut ex unico igne infiniti alii ignes exſtrui poſſunt, cum nempè unus ex alio accenditur. At verò ſemine omni emortuo, impoſſibile eſt novum ſemen producere. Quam ob rem optimè Deus opt. max. conſtituit quod ſemen Vegetabilium annuo ſpatio conſervari queat, hoc enim ſi non eſſet,præcipuarum Herbarum interitus de hieme exſpectandus eſſet, quas nunc beneficio ſeminum terræ commiſſorum de novo producere poſſumus. Seminis Animalium longè diverſa ab his eſt ratio, licet enim & illa corporibus ejuſmodi animalibus, tanquam ſolo fertili, ad multiplicandum committantur,hæc tamen commiſſio alia maximè ratione peragitur quam Vegetabilium, utpote quorum ſemen conſervare, atque de loco in locum transferre, adeoque qua collibitum terræ parte ſerere poſſumus, ſecus

cus ac ſemen animalium, quod nullo modo conſervare vel ex uno loco in alium tranſportare, nec pro libitu ſerere valemus. Sed verò eo ipſo momento quò exit, matrici debet committi, ſic ut extra corpus ne ad momentum quidem integrum fertileque eſſe queat. Satio itaque conceptioque ſimul peragitur ab utroque corpore, virili nempè & muliebri. Cauſa hujus rei in eo conſiſtit, quod ſemen animalium volatili, inviſibili, viventeque ſpiritu polleat, quo deperdito multiplicationis opus omninò tollitur. Ut ergò una perficitur multiplicatio ſic etiam alia, nec ullo modo naturæ curſus tranſgredi poſſumus.

Similiter etiam Mineralium multiplicatio ſe habet, & eodem modo quo ea ſemel perficitur, etiam ſemper poſtea perficienda eſt.

Multiplicatio Vegetabilium atque Animalium unicuique ſatis cognita eſt, & ubique peragitur, nec cum vulgata adeò ſit ulli admirationem movet. Mineralium verò minus divulgata eſt, quod pauciſſimi reperiantur qui eam intelligunt, licet æque facilis ſit ac Vegetabilium atque Animalium, ut etiam ſtupidum adeò neminem inveniri poſſe crediderim, qui non illico eam percipere atque efficere valeat; ſi ipſi modus exhibeatur. Quod autem plurimi adeò errent, viâque illegitimâ incedant, arti haud imputandum eſt, verum iis qui incogitanter adeò rem tractant,

ctant, nec naturam imitantur ſuum à Deo conceſſum curſum ſemper ſervantem. Conſiſtit itaque Metallorum multiplicatio in ſolâ ſeminis cognitione; ſeminis enim conditionem & fructus ſequuntur, qualis ergò naturæ ſemen ſeris, ejuſdem & fructus reportabis, nec ullos alios. ex. gr. ☉ quæro, primo itaque ☉ ſemen mihi in promptu ſit neceſſe eſt, antequam illud ſerere aut multiplicare potero. Hoc quo potiri queamus, non verbis aut imaginatione res pertractanda eſt, ſed naturæ cognitione ſola, utpote quæ viam tutiſſimam nobis monſtrat, modo eam docentem audire, haud retrahamus. Ea ut ☉ atque ☽ terræ committit, ita, nec aliter, & nobis facere incumbit, ſi optatum eventum ſperemus.

Quemadmodum autem, ut ſupra diximus, omni ſemine Vegetabili atque Animali Spiritus quidam vitalis aut procreans deliteſcit, ſine quo ineptum omninò eſt. Ita & in Mineralibus Spiritus aliquis reſidet, omnia vivificans atque efficiens, cujus ex abſentia mors ipſa ſequitur. Spiritus hic nullius ponderis eſt aut formæ, & ſolum domicilium in quo ſe ſuſtentat nobis patet, ſic ut vix milleſima pars ejuſmodi ſeminis vita ſpirituſque ſint, reliquæ omnes emortuæ. Hujus rei veritas vel inde inter alia eluceſcit, quod ſi ſemen aliquod Vegetabile ultra debitum & à natura ipſi conſtitutum tempus ſervetur, virtute

ſpi-

ſpirituque vegetante evaneſcente, neutiquam fructus exhibeat, ſeque multiplicare nequeat, licet priorem ſuam figuram, magnitudinem, priuſque pondus habeat. Nihil itaque in triplici regno Vegetabilium ſcil. Animalium, aut Mineralium, quod non ſolius hujus ſpiritus, vitæque inſitæ beneficio procreetur atque multiplicetur.

Ut ergò Metalla omnia primò per aſtra ſpirituali modo in Terrâ, matrice conveniente, elaborentur, fixaque reddantur, ita & prout matrix ipſa pura eſt vel impura, pura vel impura generantur metalla. Omnium autem matrix Aqua eſt, aut terra humida, in quâ aſtra congregantur, corporalia fiunt, creſcunt atque multiplicantur. Hîc itaque ſi naturam Ars imitari velit, aſtra requiruntur virilia, matriceſque femineæ, in quibus aſtra operationes exerceant. Quo ergò aſtrum aut ſemen Metallicum purius eſt, matrixque purior, eò nobilius producitur effectum, & contrà.

Quandoquidem autem nec aſtrum nobilius ☉, nec matrix nobilior ☽ reperietur, nil magis requiritur, quam ut ☉ commune arte aſtrale efficiamus, Lunam verò ita præparemus, ut matricis loco eſſe poſſit, in quâ aſtrum ☉lis operationes ſuas exerceat; & ſic indubitato liberi parentibus ſimiles indè provenient. Nec eſt quod quis alium ☉ ☽que augmentandi modum dari

ni putet extra modo traditum, ſpiritualiter inſtituendum. Hoc modo & mundus ipſe creatus eſt, ubi Spiritus Dei movebatur ſuper aquam, eamque impręgnabat. Ut adhuc quotidiè aſtra inferioribus virtutes ſuas tribuere, eaque multiplicare notamus, ſic & arte idem in inferioribus efficere poſſumus; quæ enim ſuperius, etiam ſunt inferius. Superiora vires noſtras effugiunt, haud ita inferiora, Ars enim idem circa inferiora præſtare valet, quod aſtra circa ſuperiora. Uti Hermes Tabulâ Smaragdina clarè demonſtrat. Mea hæc qui intelligit, etiam ea quæ *Paracelſus* lib. vexat. Alchymiſtarum, maximè regulâ quintâ de ☽ & Baſilium ubi de ſulphure agit, tradunt, intelliget.

Arcano hocce modo Metalla etiam viliſſima aſtrorum ope multiplicare facillimum omninò factu, difficillimum inventu eſt. Salpetræ cui cognitum eſt & illud tractare debitè qui novit, ejus ope utilia plurima præſtabit, ut enim ſine eo impoſſibile omninò eſt ex metallis vilioribus ☉ eruere, ita è contra ejus auxilio illud efficere facillimum eſt. Summatim, Salpetræ ritè qui tractare novit, Philoſophorum is ſcripta optimè intelliget, & ad magna arcana perveniendi lucem ſibi datam eſſe ſciat. Variis etenim modis ex omnibus vulgaribus vilioribus metallis ☉ atque ☽ extrahere nobis licet, adeo ut expertus Chymicus neceſſe haud habeat peregrina materialia

rialia quærere. Optima mineralium omnium purificatio, fixatio, atque augmentatio Saliſpetræ operâ perfectè peragi poteſt, quod ut paucis notũ, ita & poſſibile videtur, & tamen veriſſima ſunt quæ propono. Volatilia reddit corpora atque ſpirituoſa, eademque mox iterum fixa atque compacta, ut adeo ipſi ſoli debeatur, quod Philoſophi dicunt: *Fac fixum volatile & volatile fixum*, nec ullis aliis ſubjectis; quod ſi enim metalla ſpirituoſa haud reddantur, augmẽtationis nulla ſpes remanet. *Ex aliquo nihil, ex nihilo iterum aliquid provenire debet*, *Paracelſus* inquit, quod etiam reverà ſic ſeſe habet, licet pauci ſint qui id credant.

Metallorum corporalium variè mixtorum colliquatio, nil ☉ ☽què exhibet, ſpiritualis conträ unio, calore fortiſſimo peracta, multiplicationis inſignis author eſt, ſpiritus enim ſummè penetrant, varièque in ſe invicem agentes, alterationes meliorationeſque, quod efficere corporibus mortuis denegatur, inducunt, diverſimode ſpiritus vitam tribuit atque vivificat, corporis nullus uſus niſi ut ſpiritui domicilium præbeat, quæ benè notanda.

Spiritus illi metallici, opere peracto, corporibus aliis de novo ſe inſinuant, quæ etiam meliora longè prioribus efficiunt, & hoc omne Saliſpetræ auxilio.

Apud *Baſilium* Salpetræ de ſeipſo hunc in modum loquitur. Interitum meum qui intendit, pru-

prudentiâ opus habet, cujus ope animam meam à me expellat; hoc ubi fit, omnia quidem, quæ poſſum, tento, at nihil in fundo firmitudinem habentis efficere licet. Venus mea fœmina eſt hilaris, quam hoc loco in uxorem mihi duco, nuptiæ verò ipſis in internis cœlebrantur, ubi ſudor copioſiſſimè utrique noſtrum effluit. Sic ſubtile in nobis ſordes omnes, expellit, undè liberos ditiſſimos relinquimus, corporibuſque emortuis theſauros ſummos reſervamus, teſtamento iis exhibendos. Quis clarius loqueretur, & hæc verba per ſe ſine ullâ interpretatione non intelligeret?

Veteres Philoſophi ad ortum ſolis, in regionibus iſtis calidioribus, avem reperiri ſcripſerunt, quæ nidum ſuum ex auro conſtruat, & ubi ſenium contraxit, nec vitam diutius protrahere valet, lignum ſummè aridum congreget, quod ſolis ardore incenſum nidum avemque ipſam conſumit, ex cineribus autem pluviâ madefactis lumbricos oriri, qui in Phœnices iterum alias mutentur.

Hæc quidem fabulis accenſentur, nihilominus tamen arcanum ſummum iis patefactum; omnia enim ſi ritè perpendamus, Salpetræ ſignificari videbimus, quod ☉ nido ſuo colligit, hoc eſt ex metallis, lapidibus atque mineralibus ☉ extrahit, & poſtea familiam ſuam eorundem combuſtione, auget. Sapienti ſatis.

Arca-

Arcanum hocce ut magis pateat, modum alium ☉ fixum atque Volatile ex lapidibus, omniſque generis mineralibus, ope Salispetræ extrahendi corporeumque reddendi, ſuperaddam. Solve mineralia ℞ quo extrahatur inde ☉, quod reticulo argenteo aut plumbeo collige, hunc rete combure, & theſaurus remanebit notabilis.

Opus hocce piſcatui optimè comparare poſſumus, de quo Philoſophi plurima ſcripſerunt, at obſcurà admodum; clarius eandem rem tractavit *Sendivogius*; omnium verò perſpicuè *Iſacus Hollandus.* Hic Philoſophus piſcator perlarum caſeique preſſor optimus ſanè fuit, quam ob rem & tale ſibi nomen dedit. Iſacus enim, litteræ ubi tranſponuntur, idem eſt quod caſius; ut adeò Caſeus Hollandus dicatur; non quod revera Hollandus & caſei vaccini formator fuerit, ſed quod ſimilitudinem aliquam ejuſmodi hominum referat; plurimum enim laboris Univerſali illo, quod caſei rationem habet, elaborando impendit. Quemadmodum Hollandi inter omnes gentes lactis copiam ſummam colligunt, ex quo caſeos premunt, adeoque ſe ſuoſque ſuſtentant; Ita & Chymici periti res, caſeos Philoſophico modo formant, & quidem ex metallis, ſalibus, herbiſque, & hoc ad eam maximè methodum, ſecundum quam Hollandos procedere videmus in confectione caſei ovilli, dum herbas

virentes in lacte coquunt, adeoque colorem exinde extrahunt, antequam coagulationem ejus inſtituant. Solvunt nempè illi ♄ vel ☽ 🜅, materiamque auream, licet vel ♀ ſit aut ♃, ſi melior non adſit, 🜆; Solutionem utramque lactis virginei formam habentem confundunt, & Salis q. ſ. addunt, (NB. Præſtat aquam ſalſam addere, aut Spiritum Salis) & illico lac illud coagulari videbis, ſimiliter, ut, cum lacti vaccino aut ovillo aquam ſalſam aut ſpiritum Salis affundimus, evenire quotidiè obſervamus, ubi aqua partim per decantationem, partim per expreſſionem à coagulo aut caſeosâ ſubſtantiâ linteo contentâ ſeparatur, ut ſic caſeus inde formetur.

Ad eundem modum & nos procedimus in confectione caſei noſtri metallici, ſolutioni nempe ♄ni aut ☽, cũ eâ quæ eſt materiæ aureæ, ♀ ſcil. aut ♃is, mixtæ, ubi aquam ſalſam aut ſpiritum ſalis affundimus, præcipitationem illicò notamus; quâ factâ, aquam claram materiæ præcipitatæ innatantẽ per inclinationem abſtrahimus, quam ulteriores ad uſus, qui in aliorum metallorum aureorumque ſubjectorum ſolutione præcipuè conſiſtit; ſervare licet; Caſeum aut coagulum album in fundo vaſis hærens linteo imponimus, fortique expreſſione ab aquâ omnimodo liberamus, ſimiliter ut prior conſervandâ, ad novos n. caſeos conficiendos adhibita ſaporis gratioris,

aureos,

aureos, venaleſque magis eos reddit. Caſeum exſiccatum uſui noſtro reſervamus.

Serum hoc lactis, vel aqua illa quæ à confectione Caſei ex lacte vaccino copiosè colligitur, varias licet humano generi utilitates præſtet, dũ vel ſuibus, quo pinguiores reddantur, exhibetur, vel pro potu quotidiano maximè æſtivis temporibus, à ruſticis uſurpatur, vel etiam ad alia adhiberi eam quotidiè videmus, nullam tamen præſtantiorem obſervare mihi licuit eâ quam ſutoribus præſtat. Hi ♂ antiquum ipſi imponunt, ſolutioneque factâ, aquâ ejuſmodi coriũ jam perfectum madefaciunt, exſiccatum idem ca iterum humectant, idque ter quatervè reiterant, uſque dum colorem fixum carbone nigriorem contraxit. Iidem & infantibus quandoque ejus aliquid ad vermes enecandos expellendoſque exhibent, bono cum ſucceſſu. Quin & balneum ex eâ parare ſolent, iis qui ſcabie laborant admodum conveniens, eò quod vim exſiccandi à ♂ contraxerit, undè etiam ſit quod cutis lævis duraque reddatur; quod cum eâ efficere valeant ruſtici operariique, quid obſtat quo minus nos curationem ejuſmodi perfectiorem inſtituamus, hoc nempè modo:

℞. Lactis dulcis vaccini aut quod præſtat caprini, menſuras duas, coque ad ignem, ei adhuc calenti Spiritûs Salis ℥j aut ℥ij inſtilla, beneque miſce, & ex tempore coagulum ſegregari à

 ſero

ſero videbis, ex quo expreſſione caſei formari poſſunt, qui longè præſtant aliis, ob ſpiritûs Salis additionem, quibus ſi Cuminum, Carui aut aromata addantur, adhuc magis aliis præferendi ſunt. Serum hîc ſeparatum grati ſaporis, & ob Spiritus Salis admixtionem, acidiuſculi, laxativum vel abſterſivum certiſſimum, tutiſſimum, in infantibus vermibus laborantibus, aut etiam ſenioribus enervatis, adhibitum. Quot enim non infantes, poſtquam febre ardente, epilepſiâ ſimilibuſque affectibus aliquamdiu ſæpiuſque laborârunt, inopinatò mori obſervamus, haud aliam ob cauſam quam quod vermibus eos ſcatere perſuadere nobis recuſemus, adeoque ad eos expurgandos remedia adhibere detrectemus; in tali caſu excellens admodum Serum hocce eſt, hoc modo uſurpatum: ℞. limaturæ chalybis ſubtiliſſimæ quantum cultri apice capere potes, miſce cum mellis q. ſ. & pueris exhibe, qui pro potu ordinario ſero dicto utantur, & hâc ratione in ventriculo limatura illa à ſero ſoluta vermes enecat & exturbat, præſtantiſſimum ſanè medicamentum eſt, maximè per dies ii aut tres adſumptum, quo etiam nobilius hactenus mihi non obtigit; Ut adeò & ad pueros infanteſque aliquid ex noſtrâ caſei confectione redundet, pro quâ Deo opt. max. gratias immortales debent.

Præter hæc tamen & Seri hujus uſum inſignem no-

notavi, in adhibitione Panaceæ meæ antimonii, ſi ejus hauſtus unus aut alter calidè ſub finem purgationis adſumatur, reliquias enim inteſtinis inhærentes leniter educit.

Poterit etiam, cui volupe eſt, antequam inſtilletur Spiritus Salis, lacti dum coquitur, aliquid aniſi, aut fœniculi addere, quo flatulentia ejus corrigatur.

Æqui conſulat benignus lector humaniſſimè precor, quod adeò prolixus ſim in enarrandis Seri noſtri virtutibus, neceſſitas ipſa amorque proximi eas celare vetant; plurimi etenim infantes haud aliâ de causâ febre Epilepſiâque corripiuntur, vitamque cum morte ſubitò adeò ſæpè mutant, quam quod vermibus, quibus corpora eorum repleta ſunt, obviam haud eamus, medicamenta idonea ignorantes.

Ut ergò ad noſtrum revertamur caſeum, ipſiuſque æque ac Aquæ quæ indè ſeparatur utilitatem ſummam demonſtremus; primò omnium ſcire convenit & eum colore quodam ſubjecta tingere poſſe, non nigro ejuſmodi, quali corium tingit ſerum lactis ruſticorum, modo præſcripto præparatum, ſed flavo; durabili magis eo, qui corio communicatur, quatenus ex ♀ aliiſvè ſubjectis aureis tincturam eâ extrahimus, tincturaque ☽ aliquoties inungimus. Talibus ſi virtutibus aqua polleat, quibus non ipſe caſeus pollebit? prout diverſimodè aromatibus inſtructi

noſtri ſunt caſei, ita & diverſi ſunt saporis, pretiique, magis minuſque ſalutares. Quod ſi, quæ in Jove virtus eſt, & caſeis noſtris accedat, eximii inde caſei exurgent, quod & Philoſophus ille indicare voluit, qui reticuli ſaturni operâ vel clarâ nocte piſciculum Eſchineia è mari extrahi poſſe ſcribit. Vocabuli hujus Eſchineis litteræ ultimæ i & s ſi conjungantur, ſic ut indè exurgat littera ʒ, & ſic retrogradu lectio inſtituatur Germanicè idem ſonabit quod *Zieneſch*, cineres ſtanni; haud tamen eſt, quod aliquis ſibi perſuadeat, cineres illos ſtanni tales eſſe qui ignis vulgaris, ſed verò qui Spiritûs nitri beneficio parantur.

Saturnus non tantum Agricolæ, verùm etiam, piſcatoris, venatoriſque boni laudes vindicat, ut inter alios egregiè Baſilius oſtendit.

☉, ☽, ♃, atque ♂ cum inſectantur feras, ♄ recte portare tenetur. NB. Canes venatici hîc Salia ſunt. Lepus captus pelli leporis maximè ſimilis colore eſt, eâdem denudatus carnem exhibet optimam, quâ carere principes haud minus quam ſubditi poſſunt.

Vitriolum vulgare; maximè verò illud quod locis ubi aurum datur reperitur, mare viride eſt, piſces optimos continens.

Nec ſolum Caſei preſſor optimus Iſacus Hollandus, ut modo diximus, fuit, verum & piſcator perlarum ſingularis. Saturni etenim reticulo,

nocte

nocte exiſtente clarâ, præſtantiſſimas perlas captare licet, quæ tamen difficulter admodum ex eo auferri nec niſi prudentiâ, arteque ſummâ à filis retium; quibus firmiter adeò adhærent, ſeparari poſſunt. Omnium tamen optimè ſeparatio hæc clarâ luce peragitur, ſole radiis ſuis terram illuſtrante, vaporeſque omnimodo diſſipante, ne horum præſentiâ ea impediatur; cœlo etenim tempeſtivo, aëri expoſitæ partes corrumpuntur, nec aliquid præter conchas remanet. Hæ à parte interiore coloris diverſitate pulchritudinem eam referunt, quam picturâ referre ne quidem ingenioſiſſimus pictor poterit, cum quibus comparari aliæ matris perlarum, aut communiores conchæ, neutiquam poſſunt. Hâc enim ſui parte ☉ purum repræſentant, illâ ☽ purum, alia iterum coloris ſunt viridis, cerulei, rubri, flavi, varii, ſic ut caudam pavonis pulchritudine multum ſuperent. Quod ſi verò concharum ea eſt pulchritudo, ut ſatis eam admirari nequeamus, quæ quæſo ipſarum perlarum erit? Nec eſt quod aliquis ſibi perſuadeat, me perlas porcis hîc objicere, nimis arcana divulgando, multa etenim adhuc requiruntur ad id neceſſaria, ut ipſæ perlæ in conſpectum nobis veniant, & quod ſi ex ipſo reticulo eas ſummâ dexteritate extrahendi modum aliquis cognoſceret, plurimum tamen adhuc laboris fixatio earum exigit, quo pulchritudinem, præſtan-

noſtri ſunt caſei, ita & diverſi ſunt saporis, pretiique, magis minuſque ſalutares. Quod ſi, quæ in Jove virtus eſt, & caſeis noſtris accedat, eximii inde caſei exurgent, quod & Philoſophus ille indicare voluit, qui reticuli ſaturni operâ vel clarâ nocte piſciculum Eſchineia è mari extrahi poſſe ſcribit. Vocabuli hujus Eſchineis litteræ ultimæ i & s ſi conjungantur, ſic ut indè exurgat littera ȝ, & ſic retrogradu lectio inſtituatur Germanicè idem ſonabit quod *Zieneſch*, cineres ſtanni; haud tamen eſt, quod aliquis ſibi perſuadeat, cineres illos ſtanni tales eſſe qui ignis vulgaris, ſed verò qui Spiritûs nitri beneficio parantur.

Saturnus non tantum Agricolæ, verùm etiam, piſcatoris, venatoriſque boni laudes vindicat, ut inter alios egregiè Baſilius oſtendit.

☉, ☽, ♃, atque ♂ cum *inſectantur* feras, ♄ recte portare tenetur. NB. Canes venatici hîc Salia ſunt. Lepus captus pelli leporis maximè ſimilis colore eſt, eâdem denudatus carnem exhibet optimam, quâ carere principes haud minus quam ſubditi poſſunt.

Vitriolum vulgare, maximè verò illud quod locis ubi aurum datur reperitur, mare viride eſt, piſces optimos continens.

Nec ſolum Caſei preſſor optimus Iſacus Hollandus, ut modo diximus, fuit, verum & piſcator perlarum ſingularis. Saturni etenim reticulo,

nocte

nocte exiſtente clarâ, præſtantiſſimas perlas capture licet, quæ tamen difficulter admodum ex eo auferri nec niſi prudentiâ, arteque ſummâ à filis retium; quibus firmiter adeò adhærent, ſeparari poſſunt. Omnium tamen optimè ſeparatio hæc clarâ luce peragitur, ſole radiis ſuis terram illuſtrante, vaporeſque omnimodo diſſipante, ne horum præſentiâ ea impediatur; cœlo etenim tempeſtivo, aëri expoſitæ partes corrumpuntur, nec aliquid præter conchas remanet. Hæ à parte interiore coloris diverſitate pulchritudinem eam referunt, quam picturâ referre ne quidem ingenioſiſſimus pictor poterit, cum quibus comparari aliæ matris perlarum, aut communiores conchæ, neutiquam poſſunt. Hâc enim ſui parte ☉ purum repræſentant, illâ ☽ purum, alia iterum coloris ſunt viridis, cerulei, rubri, flavi, varii, ſic ut caudam pavonis pulchritudine multum ſuperent. Quod ſi verò concharum ea eſt pulchritudo, ut ſatis eam admirari nequeamus, quæ quæſo ipſarum perlarum erit? Nec eſt quod aliquis ſibi perſuadeat, me perlas porcis hîc objicere, nimis arcana divulgando, multa etenim adhuc requiruntur ad id neceſſaria, ut ipſæ perlæ in conſpectum nobis veniant, & quod ſi ex ipſo reticulo eas ſummâ dexteritate extrahendi modum aliquis cognoſceret, plurimum tamen adhuc laboris fixatio earum exigit, quo pulchritudinem, præſtan-

tiamque ſuam contra omnia elementa defendere queat. Chymiæ ſtudioſus interim conchis ipſis animum ſuum oblectare, varietatemque ſummam colorum in iis admirari poterit,

Erunt forſan, qui dummodo perlam dictam ope ♄ atque ☽ ceperint, facillimam ſibi ſegregationem ejus à reticulo, beneficio deſtillationis, fore credent, at ſciant boni illi viri, hoc factu impoſſibile eſſe, unde laboris plurimum fruſtra huic operationi impendi, quod idem & aliis eveniſſe ſcio. In communi enim deſtillatione Perla illa reticulo permixta, vel mater cum filia conjunctim ſuperiora petunt & exeunt, quæ ad opus magnum minimè conferunt, licet nihilominus medicamentum particulare optimum inde parari queat, de quo parte ſecundâ atque tertiâ Pharmac. Spagyr. egi; nec eſt quod in ejuſmodi deſtillatione optatum expectemus. Quod ſi verò matrem videre deſideres, rete unà cum infante linteis puris, igne prius mundatis, lotiſque, involve, hinc balneo aut ſudatorio vitreo impone, igneque ſenſim ſubminiſtrato fac rete cum perlâ largiter ſudorem emittant, qui ſeparatim ſervatus medicamentum ſingulare ad omnem internum corporis calorem extinguendum, mercuriumque ſemper ardentem refrigerandum, præbet.

Sudoris provocatione finitâ, ſudatoria vitrea confringe, perlamque tuam inquire, & reperies

ries eam vi caloris conchas egreſſam ac unà cum reticulo aſſatam, nullo quidem modo ſpectabilem, nihilominus tamen ad maturitatem magis perductam, aliquid utilitatis ſpeciatim exhibentem. Sudatorium verò ipſum ex ſudore perlæ incomparabiles colores contrahet.

Matre itaque nunc contentus vive pulcherrimâ, animumque aſpectu ſolo oblecta, uſque dum & infantem tibi exhibere Deo placuerit. Mihi ubi formoſam illam matrem primo aſpicere contigit, adeò animus meus diutino labore ei inquirendæ inſumpto defatigatus, refocillatus eſt, ut vix verbis eloqui queam; imò & delectabilem eam matrem tali repoſui loco ubi oculis meis ſemper ſe exhibere poſſet, & quidem tamdiu, donec & infantem ſuum mihi monſtravit, qui ſanè Cupidini haud diſſimilis erat. Quære & tu, ac reperies quod optas. Implora Deum, & ipſe tibi dabit; pulſa fores, & aperientur tibi, dummodo dignum te Deus invenerit, nullis enim gratiam ſuam miſericordiamque niſi humilis gratique animi hominibus largitur. Exemplo tibi fomes ſit, qui impuris digitis tractatus ignem concipere recuſat, licet vel copioſiſſime ex ferro lapide excutiatur.

A miſericordiâ Dei omnia dependent, nec quicquam noſtris laboribus efficere valemus; Eum ſolum quærere convenit, & operibus naturæ ſe manifeſtabit, ut natura hominis ex

Chyromantia atque Phyſiognomiâ cognoſcitur. Contraria duo tertium ſemper producunt, omnemque generationem ac mutationem rerum cauſant. Igne igni addito, nil novi inde exurgit, ut nec aquâ aquæ additâ, at aqua & igne conjunctis, novæ generationes producuntur, ignis enim in aquam agit, eamque impregnat ſecundum naturam proprietateſque aquæ atque ignis, unde pura vel impura proveniunt, prout ▽ & △ pura vel impura fuerunt.

Res ipſa accuratè cognoſcenda, tractandaque eſt, ſi boni aliquid indè ad te redundare velis. Sol in ſe ſemper bonus eſt, mala tamen æquè ac bona operatur. Hic ſi radios ſuos pluviæ decidenti impertiat, rorem melleum pluvia inde contrahit, qui arborum floribus incidens, eos corruptionem incurrere facit; hujus mali cauſam haud eſt quod ſolem conſtituamus, aut mel ipſum, ſed verò indè hoc provenire videmus, quod ros ille melleus pluviâ debitè & celeriter ſatis haud abluatur, ſed calore ſolis conſumatur, unde fit, quod floſculi exareſcunt, vermeſque in iis generentur, adeoque flos totus corrumpatur.

Unicam adhuc ſimilitudinem in gratiam ſtudioſi veritatis hîc apponere placet. Hortulanus diligens in pomario ſuo recreationis ergò obambulans, ſi fortè pomum ingentis magnitudinis, pulchritudiniſque ſingularis, terræ incumbens in-

inveneriт, illicò id arripere, & non tantum accuratè contemplari, ſed & guſtare, haud cunctatur; quod ſi ſaporis grati reprehenderit, arborem ipſam quærit, eo animo, ut plura ejuſmodi conditionis poma ex eâ decerpere poſſit; Arborem inventam, eò quod fructus ipſius omnibus totius horti ſapore, pulchritudineque præſtent, magnifacit, præ aliis ejus curam gerit, fimum radicibus ſubminiſtrando, ramos arefactos, eóſque qui inutiles ſunt, & ſuccum ramis frugiferis debitum auferunt, verbenæ vulgo dicti, cultro acuto incurvato ritè amputando.

Similiter omninò & Chymicus ſedulus agit; Hic ſi in laboratorio ſuo naturæ arcana indagandi ergò obambulans, pomum aureum fortè reprehenderit, arborem, cujus fructus, quærit; quam ubi invenit, ſummè eam cuſtodit, omniaque quæ ad conſervationem ejus neceſſaria ſunt, confert, quò plura ſimilis conditionis poma indè accipere queat; hinc hortulani more fimum radici apponit, hoc eſt, nitrum; lignum aridum ſterile, ſimul ac ramulos nocivos ſuperfluos, id eſt ♀ ſuperfluum, ferro acuto candenti aufert, quo arbor iſte temporibus inſequentibus fructus egregios ſine ullo impedimento exhibeat, quod etiam evenire notat. *Paracelſus* laborem hunc in ſuo cœlo Philoſophorum, regulâ de mercurio ſexta, apertè admodum nobis propo-

ponit , dum inquit *pingues adole verbenas;* quæ tamen ipſius verba ſuperficialiter tantum conſiderantur, plurimis, quid iis ſignificare *Paracelſus* voluerit, haud intelligentibus, quamvis is clarè ſatis atque perſpicuè ſua ſcripta conſignaverit.

Neceſſe hîc eſt, ut ſciat Chymicus, quâ ratione arbor metallica ſe habeat, & quæ ipſius radix, truncus, flores, fructuſque cenſeri debeant; ♄ radix ejus eſt, ♂ truncus, ♃ cortex trunco inductus, ☿ ſuccus nutritius intra truncũ & corticem, ♀ ramuſculi virentes foliaque, ☽ flos amœnus, & ☉ pomum maturum, ſemen arboris in ſe continens.

Pomum illud in arbore adhuc hærens maturitatem juſtam adeptum, ſi ab hortulano non auferatur, ſponte in terram decidit, & poſteà aëre exiſtente frigidiore etiam ipſa folia decidunt, quæ pomum quaſi ſepeliunt, hoc ſub foliis deliteſcens ſenſim putredine conſumitur, ſemen verò à putreſcente arbore humiditatem naturalem nutrimenti loco ſibi ſumens, veris tempore radices acquirere incipit, ex qubus dein ſucceſſu temporis arbores propullulant pomiferæ, juſto tempore transplantandæ; transplantatione hâc peracta, ſylveſtri ejuſmodi arbori ex ſemine prognatæ inſitione inoculationeve talis conditionis ramos jungit, qualis fructus expetit Hortulanus. Ut adeò hortulanus induſtrius

ex

Proſp. Germ. 3. p.



☉☽ vnd ♂ mit ♃ Ja

♄ mus die Garne tra

Stelt ♀ recht nach d

So wird gefangen Fra

ex unius arboris fructu, innumeras arbores magnas adipiſci queat, & quidem ejus naturæ ac ſpeciei, quas optimas, gratique ſaporis judicat.

Eodem modo & Chymicus agit, ramulos frugiferos truncis ſylveſtribus inoculatione jungens, ut adeò fructuum bonorum nunquam laboret defectu.

Ex his nihil addiſcere qui valet, ei alio modo ſuccurrere nequeo, clariùs enim quam feci, proponere ea qua ratione poſſim, non video.

Ad hunc autem laborem ſuſcipiendum artifex diligens haud minus, quam ingenioſus requiritur. Quo enim fimus qui radici arboris apponitur melioris notæ fuerit, culter, quocum ramuli auferuntur, acutus magis, ne cortex vireſcens arboris lædatur, adeoque ſuccus nutritius effluat, eò melius fructus generantur. Sapienti quam facile eſt, aliqua referre, tam difficile imprudenti. Nullus dubito, aliquos ſe exhibituros, qui judicio pollentes ex ſcriptis meis animo ſincero editis, veram tranſmutationem ulterius inquirendi, adeoque pluris eam, quam vulgò fieri videmus, eò quòd plurima ſæpè captiosè, ſubdoleque proponantur, faciendi, anſam ſibi datam eſſe cognoſcent.

Quo autem nobilis ejuſmodi ars à contemptu ulteriore liberetur, inſequente vere laboratorium commodum inſtruere, amicisque meis

ve-

veritatem demonſtrare propoſui. Et licet omni ratione aditum ad illud infidis *Farneri* fratribus præcludere conabor, haud tamen præcavere me poſſe ſcio, quin unus aut alter veris Chymiæ ſtudioſis ſe adjungat, amicitiam ſimulando, inſidias mihi ſtruens, ſimiliter ut Chriſto Judas Apoſtolus fecit. Imò poſito, tale quid non contingere, quin divulgentur arcana, inhiberi non poteſt, quæ enim videt hic aut ille, literiſque conſignavit, poſt mortem aliorum ad manus pervenire, ratio ipſa dictitat; maximè ſi Salispetræ præparatio diverſis locis anteà inſtituta fuerit, nihil enim in Alchymia ſine nitro effici poteſt, ut inquit *Paracelſus*: Alchymia in nitro reſidere reperitur, ego autem dico: Salpetræ Alchymiam nobis monſtravit, vel Alchymia per nitrum inventa eſt. Qui ergò Salepetræ abundat, egregia in Alchymia præſtare poterit. Ægyptii ſi non Salispetræ copiam ſummam poſſediſſent, Alchymiæ ſanè neutiquam adeò periti facti fuiſſent, nec divitias eas, quibus jugum Monarchiæ Romanæ avertere potuerunt, acquiſiviſſent. Sulphuris uſum quamdiu cognoverunt, (quod ad tempora Imperatoris Diocletiani ſe extendit, qui potentiam eorum cognoſcens, libros omnes quibus illi utebantur comburi juſſit,) ipſi Monarchiam colebant, qui ſimul cum arte ipſâ periit.

Poëtæ multa fabularunt de aureâ pluviâ Jovis,

vis, nos certè ſiquidem Salpetræ cum Jove debitè tractandi modum cognoſceremus & pluviam auream producere valeremus.

Jupiter irâ percitus, fulmine ſuo tonitruque Deos omnes, & quicquid terra tenet, terrore perfundit, cum tamen pluvia, tempore ejuſmodi ſe manifeſtans longè melioris notæ ſit, fertilioremque terram efficere valeat, quam quæ communiter obſervatur, eò quod Spiritus quidam tingens, penetranſque in fulmine hærens aërem pluviamque tingat, animatamque reddat. Quod ſi ergò vi nitri & hujuſmodi fulmina producere, tonitruique △ aëremque in qua operaretur, tribuere poſſemus, nil certè obſtaret, quo minus & pluviam auream Jovis inſtar efficere valeamus. Quò purior erit Jupiter, aërque ſerenus magis, eò pluvia etiam purior aërque ſpiritu communi vitali impraegnatus atque repletus eſt. Qui jam vitam ex aqua aëreque ritè animatis, ſeparare cognovit, aurum potabile verum, aut animam mundi conſequutus, præter id quod in ſpecie talia ſe offerant perficienda, quæ victum quotidianum exhibere valent. Atque hæc hoc tempore ſufficiant. Hæc enim qui non percipit clare adeò propoſita, is certè licet vel Dii omnes ipſi ea referrent, nil eorum quæ docentur, intelliget. Spero interim, amicos meos harum ſimiliumque operationum adeoque ſcriptorum meorū veritatem certiſſimam in labo-

laboratorio meo Deo volente brevi erigendo, oculis viſuros, manibus percepturos, contraque omnes invidos zoiloſque defenſuros.

Hoc unum ſuperpondii loco addam, aſtrum auri Mercurium ſuum proprium, ſeu primi Entis præcipuè omnium tingere; aſtrum ♄ni ☽; aſtrum ♃is ☿rium vulgarem; aſtrum ♂ ♀rem; tria enim illa ſuperiora in tria hæc inferiora ſemper operantur, ſic ut virorum ſuperiorum reſpectus fœminarum inferiorum rationem habeant. ⊙ in medio relinquitur, quod qui ad operationum complementum aliis addit, excellentiora præſtabit. Cui verò aſtrum illud ſolis corporale fixumque efficiendi cognitio eſt, is hoc modo præparatum aſtrum, ex uno loco in alium transferre poterit, ſeminiſque vegetabilis inſtar, metallis omnibus loco temporeque convenienti inſerendi, conſervare; quam Dei opt. max. omnis boni datori ſummo, hinc & Salis-petræ, tanquam ſeptentrionali Monarchæ meritò tribuimus. Non ſine causâ Amici Ovidii divulgationem eorum, quæ Egelidon, Borean & Notum appellavit, diſſuaſerunt, quod tamen recuſavit ipſe inquiens: jamque opus exegi, quod nec Jovis ira, nec ignes, nec poteſt ferrum nec edax abolere vetuſtas.

Reſtat adhuc, qua ratione aqua illa nitroſa, ex quâ perla illa nobiliſſima, ⊙ atque gemmæ reticulo capta ſunt, in ulteriores uſus præpa-

rari queat, paucis tradamus; ut adeò piſcatus ejuſmodi ſumptus quidem exiguos admodum exigat, & tamen præter quotidianum victum, de quo uberrimè nobis proſpicit, medicamentum optimum largiatur.

Præcedentibus quomodo ex Metallis, ſilicibus, arenâ, argillâ, variiſque ubique obviis ſubjectis ☉ atque ☽, tam quod fixum eſt, quam quod adhuc volatile, ope 🜅 aut 🜆 facillimo negotio, extrahere, præcipitare, coagulare, edulcorare, exſiccare, atque in corpus Metallicum fixum reducere queamus, docuimus. Hæc dum fiunt, pars aquæ ſeparatoriæ hîc uſurpatæ adhuc bona eſt, ulterioreſque ad uſus conſervari poteſt, pars verò ejus, quæ nempè ex Metallis ope aquæ communis extracta eſt, ob permixtionem illius aquæ dulcis debilis nimirum ad operandum efficitur, eapropter modo quodam ſingulari corrigenda atque emendanda venit, quæ rurſum ad idem efficiendum adhiberi queat.

Niſi ſumptus atque labores inhiberent, aquam illam dulcem ab Aqua forti & Regiâ beneficio cucurbitæ vitreæ, ſeparare poſſemus; ſed cum via detur compendioſior, eam eligemus. Qui enim hujus à me traditi operis ſeparatorii, aut extractionis ☉ atque ☽, beneficio, divitias ſibi acquirere intendit, magnâ copiâ 🜅 & 🜆 indiget, paucis enim ex Metallis, mineralibuſvè

eadem extrahere velle, quid prodeſt. Cum autem aquarum illarum fortium, vix dimidium per inclinationem à ſubjectis illis quibus affuſæ ſunt, ſeparari queat, ſed præcipua earum pars iiſdem adhæreat, æque ☉ atque ☽ in ſe continens ac illa quam per decantationem abſtulimus, aquæ dulcis beneficio per coctionem debitam inde eam extrahamus requiritur, undè fit quod maxima copia aquæ congregetur.

Aquæ illæ fortes decantatæ, ☉ atque ☽ poſſidentes ubi confunduntur, ☽ atque ☉ pulveris inſtar fundum vitri petunt, adeò ut nil metalli utrâque in aquâ reſiduum maneat. Nec ullo modo aqua illa ex permixtione aquæ fortis in quâ ☽, & aquæ regia in qua ☉ ſolutum erat, debilior redditur, ſed vires ſuas retinet ☉ extrahendi, neutiquam verò ☽, eò quod 🜍 aquæ forti addita hanc totam in 🜍 convertat. Præcipitatione hâc peractâ, aquâque clarâ à præcipitato per inclinationem ſeparatâ, illam quæ adhuc præcipitato inhæret aquâ dulci extrahere quidem liceret, at cum maximè indè vires ipſius imminuantur, alio modo procedere præſtat, ubi hunc præferimus. ℞ Calces ☉ & ☽ aquam regiam adhuc perſidentes eaſque linteamini, infundibulo aut orificii amplioris vitro impoſito, affunde, & transcolabit aquæ regiæ pars maxima in vitrum ſuppoſitum; ubi tranſire aqua illa amplius recuſat, quod ferè intra dimidiæ horæ ſpa-

tium

tium fieri obſervamus, linteum fortiter filo conſtrictum, ne calcis contentæ aliquid exire queat, ponderi cuidã aut materiæ gravi ſuppone, quo ſic aqua Regia omnis exprimatur & calx ſola inſtar coaguli aut caſei recentis remaneat. Quandoquidem autem calces ☉ atque ☽ edulcoratæ non ſint, hinc evenit quod caſeus inde modo dicto paratus corroſivus adhuc ſit, nec facilè exſiccetur; Utrumque corrigere facile eſt, ſi modo ei patinæ impoſito, quartam partem ſalis fixi admiſceamus, hujus enim vi & ſpiritus corroſivi in eo adhuc hærentes enecantur, & exſiccatio, cementatio, fixio atque reductio promovetur. Reductione peractâ, ☉ atque ☽ quo participes fiamus, maſſa illa auroargentea in granula redigenda eſt, 🜅 novâ ſolvenda, aquâ regiâ, cujus ope ☉ ex metallis extractum eſt, præcipitanda, caſeus per compreſſionem ab aquâ liberandus, ſale fixo conſpergendus, liquefaciendusque. Et hæ operationes omnes toties repetendæ ſunt, quoties neceſſitas exegerit, & aliquid metalli adfuerit, ex quo ☉ extrahi queat; ſicut labor continuus inde exſurgat, qui haud fructuoſus eſt, eò quod aqua illa fortis finito labore ad aliorum ſimilium extractionem adhiberi, debilior autem quæ eſt, in Salpetræ præparari poſſit, ex quo de novo, addito vitriolo, aqua fortis optima deſtillatione confici poteſt. Vaſa in quibus metallorum præcipitatio peragi-

 tur,

tur, imò & torcularia quorum ope aqua ex caſeo exprimitur, ex vitro fortiori confecta ſint requiritur, aut terrâ vitreâ benè vitreata.

Cum autem vitra fracturis maximè ſint obnoxia, vaſa verò terrea, niſi vitri ſoliditatem habeant, aquæ plurimum abſumant, & ſic molleſcant, conſultum mihi videretur expreſſionem aquæ ex caſeo intra laminas duas argenteas celebrari; aqua enim caſei ☽ nullo modo arrodit. Imò & infundibula ad hoc opus requiſita ſi ex ☽ fabricata eſſent, haud inconveniens foret, nec fractionis metus.

NB. Poſſet etiam extractum ⊙ per 🜆 paratum, cucurbitæ argenteæ imponi, quo ſic etiam opus faciliteur, etiam damnum omne, quod alias ex uſu vitrorum exſpectandum, præcaveatur. Et ponamus cucurbitam unam, prœlum unum, & duo infundibula vel centum imperialibus conſtare, facilè tamen ſumptus illos reſtituet operis certitudo atque celeritas, dum ſic multò & tutius & celerius omnia peraguntur; præter id quod nil niſi manupretium perdatur, cum argentum ſemper ejuſdem ſit valoris, & vendi pro placitu iterum queat. Qui verò argenteis ejuſmodi vaſis caret, aut ea ſibi comparare nequit, is vitreis tamdiu utatur, donec argentea acceperit, argentum autem ex quo vaſa hæc conficiunt, purum ſit requiritur, nec ullius ♀ particeps, ne 🜆 ♀ ex ☽ extrahat, & ſic

ſic vaſa, maximè cucurbita, ſucceſſu temporis mollitiem indebitam contrahant.

Metalla ope aquæ calei extrahendi modus in præcedentibus detectus eſt, hoc tamèn hîc monere cogor, multo conſultius eſſe, mox in initio ad ☉ extractionem Spiritum Salis rectificatum, aquâ forti acuatum uſurpare; quam 🜆, eo quod ſic in reductione ☉ major acquiratur copia, quam ubi operatio per 🜆 perficitur; cauſam hujus rei nimis longum foret hîc recenſere, ſufficit quæ bona vel mala ſint indicaſſe. Imo etiam viliori pretio Spiritus Salis venit, quam Aqua regia, ſiquidem ſecundum deſcriptionem meam paretur. Nec eſt quod Farneri calumniatori hic fides habeatur, quaſi Spiritus talis per vitriolum confectus, ad modum parte primâ furnorum traditum, nullius uſus ſit, aut ſaltem dicto itidem modo, in copiâ parari nequeat; ex voto enim ubi omnia hîc non ſucceſſerint, id nō deſcriptioni meæ; ſed ipſius Chymici inſcitiæ atque ineptitudini imputandum eſt; annon enim ineptus ſtolidusque is verè dicendus, qui pulmentum ritè coctum, oriqueab alio ingeſtum, deglutire ignorat.

Quod ſi boni illi viri, ejuſmodi operationes perficere nequeunt, quæ de verbo ad verbum, fideliter deſcribuntur; qua ratione ſpeculationibus explorationibuſque variis in cognitionem alicujus rei venirent, prout quidem ego ipſe

feci ? Teſtor itaque & hîc, Inventionis meæ methodum ſervando, quotidiè non 10 aut 20, ſed 30, 40, 50 & plures libras, unicâ fornace faciliimè parare nos poſſe. Imò quod ſi homines rem ipſam accuratius perpenderent, facilè quâ ratione ex ℔j Salis, Spiritus optimi, gratiſſimi, nullâ rectificatione indigentis ℔j ope cucurbitæ vitreæ, per arenam ſpatio unius horæ, deſtillatione confici queat, invenirent, & quidem beneficio fornacis vix ſpithamæ amplitudinem habentis, carbonumque pauciſſimorum, ℔iij vix excedentium in pondere; ſi ulla deſtillatio artificioſa, hæc ſanè erit, videant, momi, an & quomodo intelligant, quæ diximus nos, ea vera eſſe omni tempore demonſtrare poſſumus. Ejuſmodi verò artificioſam deſtillationem porcis offerre inconveniens omninò, ſolis veritatis amatoribus debita, quorum hoc ſeculo pauciſſimi reperiuntur.

Verum hoc eſſe, ſpiritum nempè ſalis acceptiſſimum faciliimo adeò negotio maximâ copiâ parari poſſe, vel ex eo evidentiſſimè conſtat, quod hiſce locis nonnulli ſint, qui informationem meam ſecuti, eò quod & copiosè & ſine magno labore eum conficiant, ℔j imperiali vendunt. Non equidem res meæ eum laborem ſuſcipere permittunt, attamen ejuſmodi hominibus artificium conceſſi, quibus jam æque illud ac mihi notum eſt, qui etiam eâ quantitate ſpi-

ſpiritum illum elaborant, quam vel tota Europa exigere poſſit.

Quandoquidem autem haud ita pridem, eum ad extractionem ☉, ex aurum continentibus lapidibus, arenâ atque argillâ, omni loco obviis ſubjectis, aquâ regiâ præſtare inveni, intermittere haud poſſum, quin eum hoc loco maximoperè omnibus commendem, ſpiritus enim iſte ſingulariter ☉ delectatur, non tantum eo quod fixum eſt, ſed etiam quod volatile, quo id extrahat fixumque reddat. Dantur mineralia, lapides, arenæ terræque, quæ ☉ volatilis plurimum perſident, quod durabile minimè eſt, ſed halitus ſpecie ſurſum fertur, & in auras abit, adeoque pro vero ☉ neutiquam habendum, cum vim ignis fuſorii perferre nequeat. Præter id theſauri pretioſiſſimi ſæpè occurrunt, nulli utiles, per extractionem, præcipitationem, caſei confectionem, liquefactionemque à me traditam, ad uſus ſummos transferendi; quæ enim in extractione non ligat aut fixa reddit Spiritus Salis, ea talia efficit ☽ aut ♄, quibuſcum ☉ ex ♈ aut ſpiritu ſalis cepimus, ad quod obtinendum multum etiam confert, ſi caſeus captus ope cementi artificioſi omnimodo figatur, etiam fluor gradatorii reducatur in ejuſmodi maximè vaſe, ex quo ne minima pars volatilis evaporare poteſt, quo fit ut non ſolum ☉ volatile captum fixum, ſed & pars retis ☽ aut ♄ gradatione aurea redda-

reddatur. ☉ enim volatile quodvis, igne in metalla alia operationes ſuas exercet, eaque aurea efficit, ſic ut majori quantitate ☉ indè proveniat, quam illud fuit, quod jaculi argentei atque plumbei opera ex extracto captum erat; Hæc attende, viaque legitima incede, & ea reperies, quæ ne quidem concipere adhuc potes. Piſcatus perſpicuè ſatis hîc deſcriptus eſt, nec minus cementatio caſei, atque reductio, clarè propoſita, facilimo negotio perficienda.

Deus autem ſi quidē acceptus ipſi fueris, compendioſiorem adhuc tibi monſtrare poterit viam, minori cum labore opus hocce perficiendi, majoraque impetrandi.

Hac vice hiſce contentus vivas, deoque gratias agas, nec pauperum obliviſcaris, & compenſioſiores tibi Deus magis magiſque exhibebit vias, opus deſcriptum in ipſius honorem, pauperumque ſolatium, alacriter ſine ulla conſcientiæ proximique tui læſione, pertractandi. Ne ſis ſollicitus de ejuſmodi terris, lapidibus, vel arena, unde ☉ extrahas, omnis enim terra undique iis referta eſt, nec eſt quod multum temporis iis inquirendis inpendamus. Ex ſcriptis etiam meis facillimum tibi erit Salpetræ, ex Salepetræ 🜄 atque 🜅 conficere. Unica 🜄 libra tibi ſufficere poteſt ad id ut initium operationis fiat, haud enim multum ejus opere ipſo deperditur, & quod diſcedit ſalis communis additione facile

le reparari poteſt, ☉ tam fixum quam volatile, & ☽ ex terrâ extrahendi, perficiendique viam compendioſiorem haud eſt, quod te inventurum ſperes, illâ quam hic tibi exhibui. Metalla ☉ atque ☽ copioſè prædita, aliis relinque, tu ſordes tibi collige, partemque tuam exindè extrahe, quod nemo inhibebit. Quod ſi vero terræ aureæ particeps fieri queas, melius omnia ſuccedent.

NB. Præcipitari equidem ☽ atque ☉ in extractis ope ☿ poterit, at ſumptuoſius difficiliuſque longè, quam per ☽ aut ♄num, eò quod ☿ hâc in operatione adhibitus, ſecundò uſurpari nequeat.

NB. Etiam abſque præcipitatione extractum ☉ atque ☽ ab ▽ ſeparare liceret, 🜆 ab ☉, & 🜅 ab ☽ abſtrahendo, at præter id quod laboris ſummi opus foret, metalli fixi parum accipiemus & vix dimidium ejus quod modo præſcripto; ☽ enim atque ☉ partem 🜅 aut 🜆 ſibi retinent, unde acredinem contrahunt, omnibus fluoribus contrariam, quæque non ſolum quod adhuc adeſt ☉ atque ☽ volatilis, ſed & fixum ipſum ex parte inter liquandum evaporare facit. In deſcripto autem à me piſcatu, captum edulcoratur, vel additione ſalis fixi corroſiva vis extingitur, ut ſic ☽ aut ♄ ☉ tam volatile quam fixum, ☽que ſibi ſervet.

NB. Qui ritè operationem dictam inſtituet,

☉ volatile in ſecreta reductione partem ☽ aut ♄ adhuc gradatione in ☉ mutare obſervabit, adeoque ☉ duplicatum reportabit, quod gratias Deo reddendas exigit.

Præter intentum prolixior hîc fui, quod æqui bonique conſulere aliis precor; vix fieri potuit paucioribus tradita explicentur; ſapientes equidem verborum copiâ haud indigent, at ubi ſunt? præſtat itaque prolixius ſua proponere.

Sequitur, quâ ratione ex Aquâ edulcoratoria utilitatem ferre queamus, ne eam abjicere opus habeamus.

IN præcedentibus, quomodo Aquæ illæ quibus ☉ extractum, præcipitatum, ad extrahendum ☉ ulterius uſurpari queant, docuimus. Cum enim 🜄, in quâ ☽ aut ♄ ſolutum eſt, aquæ Regiæ, in quâ ☉ ſolutum, miſcetur, nulla oritur mutatio, ſed id ſolum, quod in 🜄 fuit ☽ aut ♄, fundum petit, ſic ut aqua hæc in qua talis præcipitatio peragitur, 🜆 vices poſtea ſupplere, adeoque ☉ ex metallis eâ extrahi queat.

Quoniam autem ☽ aut ♄ præcipitatum, antequam exſiccetur, ſæpius affuſâ aquâ edulcorari optimè debet, hinc eſt, quod Aquæ ejuſmodi edulcoratoriæ ingens copia colligatur. Hæc ne ut inutilis abjiciatur adeoque nobili huic operi

ali-

aliquid decedat, qua ratione etiam ex eâ commodum capere queamus, paucis hîc declarare conſtitui.

Hoc ut fiat, aquã inutilem ab ▽ ſeparari neceſſe eſt, ſeparatio a. talis ob acredinem ▽ vaſis metallicis haud perficienda eſt, ne hæc temporis progreſſu ſolvantur; vitreis verò eam peragere velle temporis & ignis multum exigeret. Alius itaque eam perficiendi modus neceſſariò hîc requiritur, quotum hocce quem exhibebimus meliorem haud dari putamus. Fornicem tibi conſtrue ex calce, cinere & fimo equino, ad modum ſupra ubi de Salispetræ confectione egimus traditum, igneque ſubminiſtrato exſicca; exſiccato fornici aquæ edulcoratoriæ eam quantitatem ſenſim affunde, quam fornix attrahere valet, & uſque dum eum omnimodo humidum redditum obſervaveris, hoc modo madefactum fornicem iterum exſicca, exſiccatum ſimiliter ut prius humidum redde, & ſic humectationis, exſiccationiſque hoc opus frequenter adeo repete, donec fornix aquam in ſe recipere recuſaverit. Hoc facto nil amplius requiritur præterquam quod fornix dictus comminuatur, tenuiſſimeque molæ operâ pulveriſetur, pulveri aqua communis affundatur, adeoque ſic lixivium conficiatur, ex quo coctione debitâ præmiſſâ Salpetræ optimum pulcherrimumque parari poteſt. Sedula autem hîc habenda

cura

cura eſt, ut ad fornicis exſtructionem cinis ligni, & calx lapidea adhibeantur, quo ſic aquæ edulcoratoriæ acredo à ſale fixo cineri calcique inhærente extinguatur, corroſiva vis auferatur, Nitrumque inde optimum exſurgat, aqua enim fortis ſi permiſceatur ſali cinerum ligni fixo, utrumque naturam ſuam perdit & nitrum inde oritur. Quò autem operatio magis ex voto ſuccedat, & nos de eventu certiores eſſe queamus, præſtat initio omnium, antequam aqua edulcoratoria fornici infunditur, lixivium cinerum ligni ei ſenſim inſtillare & quidem tam diu uſque dum ebullitio ſtrepituſque ceſſerint, quo ſic acredo omnis illius aquæ tollatur, hoc facto aqua illa fornici affundenda, & procedendum ad modum præſcriptum; habebis ita Salpetræ optimum, ſive fornix ex calce & cinere ſive ex limo & cinere conſtructus fuerit.

NB. Hæc acredinis aquæ edulcoratoriæ, beneficio lixivii ligni peracta ablatio, ſi non præmittitur, antequam fornici affunditur, hic ex calce optimâ & cinere ligni extractus ſit requiritur, quo acredo illa extinguatur. Perinde quidem eſt num ea aquæ acredo antea extinguatur lixivio, num vero in fornice id perficiatur, nihilominus tamen, cum tutior ſit operatio, quæ prægreſſam habet acredinis ablationem, priuſquam fornici affunditur, præſtat eam inſtituere, maximè cum ſic nihil referat, cujus conditionis

tionis materia ſit, ex quâ fornix conſtruitur, eo quod aqua ejuſmodi ſolâ explicatione, coagulationeque indigeat, hæc autem æquè bene auxilio fornicis, ex limo conſtituti, perfici queat, ac illius qui ex calce: Aliâs ſi aquæ edulcoratoriæ acredo lixivio non tollatur, fornix ex limo nullius uſus eſt, nihil enim Salispetræ hoc modo colligeres, quin magis aqua omnis evaporatione conſumeretur, quod metuendum minime eſt, ſi fornice utamur ex calce & cinere conſtructo, cum ſic mortificatur aqua ea.

Atque hoc modo aqua illa edulcoratoria ad uſus ulteriores præparari commodiſſimè poteſt, Sal autem petræ quod indè extrahitur, ad elaborationem aquæ fortis maximè appropriatum eſt tantamque ejus quantitatem colligere poſſumus quantam extractio ☽ & ☉ ex metallis, arenâ, lapidibus, argillâ atque mineralibus requirit.

NB. Utilitates excellentiores ſi quis exigat, is in aquâ illâ edulcoratoriâ [B] vel [C] ſolvat, & in lixivio [D] hinc utraſque ſolutiones miſceat, ſedatâ fermentatione, duplum nitri habebit, ad id quod exhibent contraria ſimpliciter confuſa, & fornici affuſa, cauſa ejus rei eſt, quod [E] intrinſece nil niſi nitrum ſit, in apertum autem progredi nequeat antequam corpus confractum fuerit, ac quod intus hæret ſalis,

li-

liberum omnino reddatur, quo una cum ſpiritu corroſivo in Nitrum mutetur.

Idem & de [F] intelligendum venit, quatenus & illud lixivio ligni comminuitur, ſicque Sal intus deliteſcens quod nil niſi nitrum eſt, ſe videndum exhibet, ac cum alio Sale lixivii in nitrum abit.

Labor hic, mortificatio ſcil. aquæ edulcoratoriæ per lixivium ligni, & concentratio nitri ſupra fornices ex calce aut limo fabricatos, egregium certe inventum eſt, nec puto alio quopiam modo, quam dicto negotium hocce tractari poſſe, maximè ſi ſpecies notificatæ ſimul adhibeantur, quo major nitri copia colligatur. Non enim aheno cupreo, aut ferreo coagulatio perfici poteſt, eò quod non ſolum ahenum corroſione conſumatur, verum & nitrum impurum evadat. Operatio ſiquidem rite inſtituatur, plus nitri acquiremus, quam quidem ad extractionem ☽ & ☉ ex metallis requiritur, ut adeo ☽ atque argentum abſque ullis ſumptibus nobis parare queamus, quod ſane omnibus mundi partibus inventum eſt nobiliſſimum, ſummumque Dei donum, pro quo ipſi ante omnia, hinc & iis qui nobile ejuſmodi, inauditum omnibuſque hominibus utile inventum aperiunt, gratiæ merito reddendæ ſunt maxime.

Attamen in illis terrarum locis ubi aqua fortis magnum obtinet uſum, & ſtatim ab uſurpatio-

ne

ne primâ tanquam inutilis abjicitur, utile inprimis hoc inventum eſt, uti accidit in monetis, fodinis ubi ☽ & ☉ ingenti copiâ ſeparantur, adeoque aquæ fortis multum conſumitur, ſic ut inventi hujuſce mei beneficio quotannis multum lucrari poſſemus, omnium autem maxime iis locis, ubi lapides arenaque ejuſmodi reperiuntur, quæ ☉ quidem prædita ſunt, attamen illud vulgaris fuſionis ope haud exhibent.

Præterea & hoc inventum utile admodum eſt ad ejuſmodi metalla ☉ atque ☽, quæ maturitatem aut fixitatem debitam nondum acceperunt, adeoque inter liqueſcendum evolantes nil aut parum ☉ exhibent. Ignis enim communis fuſorius ☽ atque ☉ volatile quod in metallis reſidet expellit, quod minimè hic fit, ubi omnia per 🜄 fixa redduntur adeoque conſervantur. Nullum reperiri locum crediderim, ubi non ejus generis lapides, arenam aut argillam colligere liceret quæ ☉ aut ☽ contineant, ſive fixa illa fuerint, ſive volatilia, modo dicto facillime inde, maximoque cum commodo extrahenda.

Quod autem plurimi prætendant ejuſmodi lapides, arenam, argillam atque mineralia nullibi inveniri quæ ☉ poſſideant, adeoque inventum meum omnino fruſtraneum eſſe, iis hoc repono; ſubjecta nempe talia ignota ideo eſſe, quod pauci ſint, qui ea quærunt, aut aliquid experiri volunt, ſolis iis contenti quæ veteres docuêre, nullo-

loque artificio alio ☉ ac ☽ ex metallis ſeparari poſſe, quam ſolius ignis vehementia ſibi perſuadentes, quum tamen ad methodum à me præſcriptam operatio longe facilius utiliuſve inſtituatur, in iis maximè metallis ☉ ac ☽ quæ vel ſumptus nimios ad ſui liquefactionem exigunt vel immatura adhuc volatiliaque ſunt, adeoque inter liqueſcendum avolant, ☉ enim ☽que ingens copia, aquæ fortis exigua quantitate extrahi poteſt, imò extractione debite, ſummoque fructu peracta Salpetræ ex ea parari poteſt, ut adeò ☽ & ☉ extractio talis ſumptus exiguos exigat.

Faciliorem ☉ extrahendi modum ſi quis deſiderat, is Spiritum Salis ad modum à me traditum paratum adhibeat, quem fortificare poterit addita quarta parte Salispetræ qui idem extractione finita in Salpetræ reduci poteſt, ſimiliter ut de 🜄 jam uſurpata diximus.

NB. Omnibus adhuc facilior operatio, hæc poteſt eſſe ſicco modo peragenda. ℞ Metallum lapides, aut minerale, redige in pulverem, cum ſale [G] miſce, & cum argilla in globulos capitis minoris magnitudine redige, globulos hos candefac & hoc modo ſal ☉ in igne diſſolvit, atque ex metallis attrahit. Hoc facto globulos contere atque in cuppa ampla ferventi aqua lixivium inde extrahe, ſal enim quod ☉ in cemento attraxit, aquæ ſe miſcet, ex hac aqua ſalſa ope ſolu-

lutionis ♄ni, ad præcipitationem additæ, ☉ poſtea capere poteris, ex ipſo autem ſale Salpetræ optimum conficere. Ut adeo facillimo negotio ☉ atque ☽ tam volatile quam fixum abſque ulla liquatione ex terrâ extrahere liceat; imò non ſolum ☽ atque ☉, ſed & cuprum ipſum, ſive viâ humidâ ſive etiam ſiccâ procedamus. Quia & ex ſcoriis ☉, ☽ & ♀ jam abjectis ad modum traditum, imo & ipſius ♁is, ☉ bonum extrahere poſſumus.

NB. Cauſa hæc eſt, quoniam ferrum forti igne purgatum in ſcorias aureas quaſi conglomeratum ſit, quod paucis cognitum, credibileque videtur, licet veriſſimum ſit. Cum enim metallum vehementi igne adeo comburitur ut ſcorias vitreas repræſentet, nobiliorem naturam ſibi jam adſcivit, & deinde ☉ bonum exhibere valet, licet etiam ſcoriæ ex ♀ aut ♂ ſint, quod quoque novit Cl. Metallicus Cæſearius *Iſacus Hollandus*, ita inquiens: *Si quis* ☽, ☿, *aut* ♁ *in vitrum redigat, hocque reducat, non* ☽, ♀ *aut* ♂ *ſed* ☉ *erit; & ſi quis* ☉ *in vitrum mutet, & dein reducat, non* ☉ *verum tinctura erit.*

Neque hoc latuit *Braceſcum* qui lapidis Philoſophici compoſitionem ex ſcoriis ferri docuit, verum ab alio Philoſopho ridetur, quamvis immeritò. Licet ex ferro tincturam extrahendi modum ignoro; hoc tamen ſcio, quod plurimi fuerint qui ex ipſis ſcoriis ferri viridibus per 🜄

☉ bonum extraxerint, cum tamen ipſum ♁ ex quo ſcoriæ provenëre ☉ deſtituatur. Cauſam modo inculcavimus.

Quod ſi inventum meum, menſtruum ad extrahendam tincturam conveniens facillime parandi, & poſtea ☉ ſine aquæ deperditione rurſum ſeparandi modum exhibens cognoviſſent, ſanè maximo cum fructu extractionem illam perficere potuiſſent, cum tantum poſſibilitatem rei ſine commodo perſpexerint.

Labore .m. hocce ſecundum inventum noſtrum præſcriptum inſtituto utiliter ♀ quod metallis egenis communiter ineſt, ex iis extrahere poſſumus, maximo cum commodo, ingentique quantitate, extractioneque factâ ſivè via humida ſive ſiccâ ea fiat, beneficio ſolutionis ☽ aut ♄, ☉ dum adhuc aquæ permixtum eſt, exindè elicere, imò & poſtea beneficio ♂ ♀ ipſum. Cui jam piſcatus hujus reductioniſque ratio benè conſtat, metalla ☽ aut ☉ haud neceſſe habet ut inquirat, quæ enim vel minimum eorum continent metalla ♀ ſufficienter ipſi victum ſuppeditare valent. Ne quis autem lectorum putet hæc mea, omnibus nempè locis ſubjecta auro prædita reperiri, figmenta eſſe, nulliſque niti experimentis (nullus enim dubito quin plurimi naſutiſſimi aſini hæc non tantum pro falſo ſed & ludibrio habebunt) haud abs re eſſe putavi, ſi exiguum tantummodo locum indicem, ubi ejuſmodi metalla

talia auro perdita reperire licet, quæ tamen nunquam ad uſum adhibita ſunt, ut hinc conſtet, talia ſubjecta aurea etiam pluribus in locis inveniri debere. Videamus Mœni partem, theſauroſque ibi reconditos, jam nemini utiles, eruamus, qui tamen integris nationibus earumque incolis ſummopere conducere poterunt.

Mœnus navium, piſciumque fluvius ditiſſimus, originem habet ex altiſſimo monte pinifero, conjungitur aliquo modo tribus vicinis fluviis notiſſimis, Salæ, Adranæ & Navæ, qui rurſus quatuor in mundi plagas, ut Orientem, Meridiem & Septentrionem ſeſe diffundunt. Mons hic pinifer, haud unicus mons eſt, ſed ex multis conſtat, qui pinis, abietibus, fagis, quercubus, betulis, aliiſque arboribus denſè admodum conſiti ſunt, adeoque feris, manſuetiſque beſtiis domicilium præbent.

Mons hic *pinifer* qui totius Germaniæ altiſſimus (de quo *Caſparus Bruſchius* ſingularem Tractatum edidit, qui rerum metallicarum ſtudioſis lectu perquam utilis eſt) multis egregiis metallis refertus eſt; Non modo enim in variis montis iſtius partibus, plurimis ab hinc annis ☉ copioſè effoſſum fuit, undè urbs Germanis *Goltgangh* dicta, quaſi venam auri diceres, denominata eſt; ſed & alia magis vulgaria metalla, quæ hîc deliteſcunt plerumque omnia ☉ continent, quod tamen hodiè ignoranti hominum

inſcitiâ ab iis haud ſeparatur. Nec ſolum metalla iſtius loci omnia auro prædita ſunt, ſed omnes fermè Terræ, arenæ, lapideſque, ☉ habent. Imò hoc tempore & antimonium auri ens primum illic loci effoditur. Facillimè itaque probari poteſt, montem hunc ex quo profluit mœnus, ab exterioribus æque ac interioribus partibus ☉ effarctum eſſe, cui probationi, ne nimis longus forem, hoc loco ſuperſedere cogor. Omnes rei metallicæ periti probè norunt omne æs atque metallum, quod in & ex monte hoc eruunt, auro preditum eſſe.

Studioſiſſimus naturæ indagator *Matheſius* in *Sarepta* teſtatur ſe lapidem ferrarium, fixi, ductiliſque auri venis præditum vidiſſe.

Ante laudatus *Caſpar Bruſchius* in deſcriptione montis hujus, inter alia memorat, quod in oppidulo, Germanis Einſiedel, prope montem dictum ſito antehac ſtannifodina reperta ſit, ex cujus opibus prædictum oppidulum exſtructum. Ibi metallarius quidam nomine *Sigiſmundus* wan à fœminâ Italicâ, quam poſt obitum prioris mariti in nxorem duxit, quomodo ☉ à ♃ ſeparandum ſit, didicit, unde tantas ſibi comparavit divitias, ut etiam ante obitum ſuum egregiam domum hoſpitalem exſtrui curaverit, & inſuper multa millia aureorum contribuerit, ex quibus ſeper duodecim viri ſenes & tres Sacerdotes alerentur, ad quod quotannis magna auri vis requi-

ritur. Neutiquam hoc pro fabula habendum, quin pura veritas, in eo n. ædificio effigies fundatoris *Sigiſmundi VVans* & fundatricis *Barbaræ* hoc ipſo momento adhucdum conſpiciuntur. Hujus etiam meminit artificioſiſſimus Glyptes *Matthæus Merianus* in *Topographia Franconiæ.* Satis alias quoque conſtat, montem hunc intrà & extrà metallis & præcipue aureis eſſe repletum, unde & veterum prophetiâ promanavit, Ruſticum ſcilicet in monte hoc pinifero bovem ſæpe lapide petere, qui plus, quam ipſe bos, valeat. His fidem m. faciunt peregrini, ut Itali, aliique, qui quotannis montem hunc inviſunt, & ex locis, ubi plurimum auri abditum ſciunt, id effodiunt, tergoque impoſitum ſecum auferunt, taleſque mihi plurimi adfuerunt, qui peregrinis in effodiendo auro operam ſuam præſtarunt; Qui quandoquidem extrahendi modum ignorarent, ex aliis a. me quoque metalla tractare intellexerint, varii generis lapides, terras, arenas, argillas ad me detulêre, quo quid continerent explorarem, omniaq; auro abundabant. Ejuſmodi m. terras lapideſque auro præditos Ruſtici, qui montem piniferum circumhabitant, quotidie pecuniæ lucrandæ ergò Noribergam deportant, quos hic aut ille etiam emit, ☉ optimum, liquefactione inde extrahens. Quod ſi hi homines ☉ abſque liquefactione, ſolius 🜄 ope ex Terris & lapidibus extrahere ſcirent, ſicuti hic docetur, egeni Ru-

ſtici ut ditiſſimi cives, cives ut nobiles, nobiles ut Principes vivere poſſent, quod, cum Deo collibitum non fuerit, occulta omnia manſerunt. Quæ hic profero, quilibet facile credat, cùm jam in confeſſo ſit montem hunc egregiis metallis & præcipue aureis abundare. Hunc in finem Celſiſſ. Marchio Anſpachienſis montis piniferi Dominus, ne quis peregrinus tales terras in poſterum inde exportet prohibuit; quod, quamvis aliquid efficere poſſit, plane tamen impedire nequit, quandoquidem mons ille nimis vaſtus & magnus ſit.

Cum autem à monte pinifero ſecundum Meni fluvii tractum deorſum, magis ad loca planiora ubi Ceres cum Baccho exſurgit, decurro, nemo ibi ☽ aut ☉ quærit, ſed ſe vino & ſegete contentum profitetur, nec per plurimos annos ullum ibi metallum quæſitum aut effoſſum fuit, ita ut putarint loca plana nulla producere poſſe metalla, quod ego falſum judico, & contradico, quaſdam in plano partes, quoad proventum metallorum, cum altiſſimo Monte Pinifero eſſe comparandas. Integrum alias Mœnum alti montes utrimque adjacent, ex quibus uberrima vini quantitas provenit, metalla tamen omnes latent.

Præter hæc ipſe expertus ſum, quod ab utraque Mœni parte per totam Franciam Orientalem, uſque ad Maguntiam, ubi Mœnus in Rhenum

num influit, omnis generis metalla reperire licet, ſed quod ego ſciam, nullibi metallum aliquod (excepto ferro) effoditur. Ideoque nec ejuſmodi fodinas ex quibus ☉ & ☽ manifeſte eruere licet indicare poſſum, ſed, ut dictum eſt, ubique gradus aurum argentumque continentes inveniuntur, taleſque lapides in Mœno rarò ſine metallis dantur, at à nemine probantur aut ad uſum applicantur.

Bamberga(Metropolis quæ eſt Epiſcopalis) diligentiores fiunt homines, ita ut varia invenerint loca, quibus ☉ metallũ habetur. Hujuſmodi metallum ☉ ſæpiſſime à Civitatis iſtius incolis ad me delatum eſt, ſed omne fere fluxile & immaturum continebat aurum, quod per vulgarem liquefactionem extrahi nequit, ſed tenues evaneſcit in auras, adeoque haud magni tunc temporis feci, verùm ut æs inutile reliqui. Jam verò comperi talia fluxilia ☉ metalla ad uſum referri poſſe, non ope vehementis liquefactionis, ſed ſolum per aquam nitroſam, in qua hujuſmodi fluxile ☉ metallum in extrahendo figitur & deinde in liquefactione hæret, perfectum ☉ exhibens. De tali fixatione ☉ fluxilis in lapidibus per ▽ nitroſam mihi tum temporis non conſtitit, aliàs locorum iſtorum incolis hæc mea ſcientia quam plurimum prodeſſe potuiſſet. Imo ipſe Epiſcopus Bambergenſis p. m. metallorum amantiſſimus, Clementiæ ſuæ ſpecimina mihi

ob nullius momenti officia prodidit, ſic ut redhoſtimenti loco vires meas facile tum contuliſſem, ſed ob volatilitatem talis metalli per liquefactionem nihil effici poterat. Hoc autem tempore beneficio aquæ nitroſæ theſauros magnæ conſiderationis colligere liceret. Haud procul enim à Bambergâ lapis reperitur ſummæ magnitudinis granatis omnimodo repletus, milii aut cannabis ſeminis magnitudinem habentibus; præter id quod omnes illius loci montes metallo ☉ copioſiſſimè ſcateant.

Talis vena ☉ immaturi haud procul à Bambergâ tranſverſa datur per Mœnum, quæ navibus & inprimis ſchediis, quæ aſſeres, trabes &c. quotannis in magnâ quantitate ad nos devehere ſolent, valde obſtat, ita ut non ſemper, ſed ſolummodo tum temporis cum aqua incrementum ſumpſit, pertranſire poſſint. Tempore æſtivo, ubi dudum pluvia non cecidit, vena hæc aqua ad aliquot ulnarum latitudinem denudata fere videtur, hincque factum eſt, quod nautæ vi & inſtrumento in illam colliſerint, quô ſi poſſibile removeri poſſet, ſed omnia incaſſum.

Quoniam autem eò excurrere nunquam in animo habeam, neque talis conditionis ſim, qualis invidus ille Canis, qui fœnum poſſidens, neque ipſe comedere poterat, neque bovem admittere volebat, ideo poſteris, quantum in me, hæc patefacere volui, nil de hoc fluxili ☉ ære

in

in præſentia magis indicare poſſum , ſi quis tamen plura deſideret, adeat Incolam Civemque Bambergenſem nomine N. N. pellionem , qui mihi ejuſmodi æs , ſæpenumero , dum adhuc Kitzingæ morabar tradidit , hic cujuſvis petitioni ſatisfaciet , & ubi inveniri debeat , indicabit.

Fuerunt equidem & alii, qui mihi varii generis æs obtulerunt, at nomina eorum jam dudum exciderunt. Quærite tantummodo, & abunde ejuſmodi metalla aurea illic loci invenietis, omnia ferme , ut dictum, fluxilia , parum ☉ fixi poſſidentia; & licet nihil ☉ fixi haberent neque per liquefactionem inde extrahi aliquod poſſet, jam tamen D. G. notum eſt , quo pacto per viam liquidam ▽ nitroſæ omne fluxile ☉ ex lapidibus abundè extrahi , figi , & ſumma cum utilitate in bonum ☉ mutari poſſit.

Tritum hoc proverbium quam veriſſimum; *Lapide bove pretioſiore ſapè petimus bovem.* Hinc quoque *Paracelſus* in *Cœlo Philoſophorum* rectiſſime ait , quod *multi neglecti lapides , & pulveres ſape plurimi ☉ in ſe habeant , quamvis plurimi flocci faciant.*

Prope Bambergam occupatur Mœnus navibus; egoque ipſe Mœnum ſecavi, & ab utraque mœni parte à Bambergâ uſque ad Wittzbergum in varia metallorum genera incidi , quæ ☉ & ☽ haud carebant , ex quibus ope hujus mei inventi

ti in via liquida per ▽ Nitri multum ☉ & ☽ extrahere eſt, ſi modo homines adhiberent operam.

Verum enimvero ſeges & vinum, quæ Deus tam abundè illis regionibus conceſſit, in cauſa ſunt, quod nemo alia curet, quantum enim illis ſufficit habent, hincque ☉ & ☽ metalla intacta relinquunt.

Sine dubio tota ſylva à Wirzeburgo aut Kizinga ferè uſque ad Bambergam ſe extendens metallis repleta eſt, nihil tamen quod ego ſciam, Metalli ☉ aud ☽ iri eâ effoditur.

Caſſellæ ólim ☽ atque ☉ effoſſum eſſe refertur. Ex alterâ parte mœni verſus oppidum quod Germanis Köningshoefen dicitur, in monte qui iiſdem Hasbergh antehac cuprum effoſſum fuit, quod jam deſiit, quia ejuſmodi Cuprum fluxile minus, nec ullum ſilicem ſulphureum, cujus ope fluxile fit, ſibi conjunctum habet, lapidi arenoſo incluſum: ex hujus centenario ignis fuſorii majoris ope vix ℔ IV extrahere licet, lapis enim arenoſus, ſeu calculus ſilice ſulphureo deſtitutus inter liquandum cuprum ipſum ſimul in ſcorias commutat. Aceti tamen operâ ex centenario ♀ plus quam ℔ X II aut X V I elicere poſſumus, ut non ſemel expertus ſum. An verò & ☉ volatile metallum illud ♀ in ſe contineat nunquam probavi, ☽ aliquid ipſi adeſſe, verum eſt. Imò & ductile admodum eſt ♀ idque pul-

pulcherrimum aceti ope indè elicere poſſumus, quod etiam Celſiſſimo *Electori Moguntino*, utpote hoc tempore Epiſcopo Wurtzburgenſi ſubmiſſè indicavi; at à Probatoribus ejus loci, eò quod ope fuſionis parum exhibeat, pro inutili forſan habitum.

Fateri cogor, quod per liquefactionem parum extrahi poſſit; at verò per acetum ligni, quod in circumſitis locis abundè gratis accipi poteſt, tale cuprum utiliter elicere licet.

Talis generis ſilices auro præditos Mœnus ubique præbet. Propè *Carlſtadium* in ſylvâ offert ſeſe albicans quædam pinguiſque Terra, aliquo modo argentea, alias firma, crucibulis aliiſque igni committendis inſtrumentis conficiendis apta.

Similis conditionis Terram Klingenbergæ ad Mœnum ubi Vinum falernum optimum naſcitur, invenire licet, quam vitrarii Specharttenſes ad conficienda crucibula, in quibus vitrum liquefaciunt, adhibent.

In Comitatu Werthemienſi, ubi vinum Ruſſellenſe uberrimè colligitur, æs aliquod reperiri hactenus non conſtat, varias nihilominus terras probationi ſubmiſi quas circa Breibergam; quæ arx eſt inexpugnabilis Domini Caroli Ferdinandi Comitis Wertheimienſis inveni, in quibus ☉ multum contineri notavi.

Præter hæc è regione Wertheimii ubi vineæ haben-

habentur, lapidem ferrarium nivis inſtar albicantem lapidibus aliis tectum inveni, qui ☽ atque ☉ præditus eſt, ſilicem album externâ facie repræſentat, pondere gravis, adeò ut ferro ipſi ejuſdem magnitudinis pondere vix cedat, at nihili ſit, & inſtar lapidis communioris habetur.

Comitatus *Erbachenſis* ferrum quidem copioſè exhibet, at aliorum nobiliorum metallorum nil omninò reprehenditur; ejus tamen opinionis ſum, hocce ferro ☉ atque ☽ etiam contineri, eò quod variis illius locis arena reperiatur, ☉ optimum exhibens, ut non ſemel obſervavi, cujus extractio beneficio Salispetræ optimè perfici poteſt.

Talcum itidem varii generis dictis locis reperitur, ☉ atque ☽ præditum, quæ facilè exhiberet, ſi modò ritè & ad modum à me præſcriptum tractetur, quod hactenus à nemine factum audivimus.

Comitatus Erbachienſis ſimiliter ac Wertheimienſis ferri metallo, omniſque generis mineralibus ſcatet, ☉ atque ☽ continentibus.

Haud minoris bonitatis metalla & *Sylva Specartenſis* comprehendit, ac regiones vicinæ, & tamen nil omninò eam exhibere conſtat, præter id quod ſal optimum, nec non vitrum, copioſiſſimè ibi conficiatur.

Metalla varia hîc reperiri omnibus quidem notum ſatis eſt, aſt nullus unquam labo-

borem impendere conſtituit, ut iis potiatur.

Variis in locis terram Talco albo, nigro, flavoque effarctam notamus, præcipuè quæ *Aſchiburgo* vicina eſt, quod æquè ☽ ac ☉ continet, quæ tamen ob quantitatis exiguitatem à nemine hactenus ab eo ſeparata ſunt.

Non procul à pago qui *Schiltkrop* Germanis appellatur Talcum ſe offert lapideum, ſubrubicundum; præter ♀ & ☉ volatile poſſidens, nullius omnino uſus, cum ♀ parum eo contineatur; ☉què volatile ſit, liquefactionis ope neutiquam accipiendum. Talcum hocce forſan & præcedentibus annis cognitum fuit; Locus etenim, ubi illud copioſè reperitur, ab incolis ejus loci hodie ☉ fovea vocatur, ☉ etenim ibi repertum fuiſſe haud incredibile eſt.

Hoc tamen tempore nihil omnino ex eo Talco extrahitur, ſæpiſſimè ego aceti deſtillati ope viride æris pulcherrimum exinde traxi. Lignum quandoquidem copioſè eo loco reperiatur, adeoque nullos ſumptus exigat, aceti quantitatem ſummam gratis nobis comparare poſſemus, ejuſque adminiculo cuprum ex Talco dicto elicere, Nobiles ſanè plurimi undè ſplendide viverent, haberent.

NB. Quod ſi conficiamus Spiritum Salis, eoque quartâ parte Nitri fortificato ♀ atque ☉ ex Talco nominato eliciamus; ☉ per ♄ primò capia-

piamus, hinc & ♀ per ♂ præcipitatione ſeparemus, non ſolum ♀ ductile admodum, verùm, & ☉ purum accipiemus quod verùm eſſe certus teſtor.

Horum dictorum qui experimentum capere conſtituit, nec tamen ea quæ hic attulimus debitè percipere ſe videt, is me accedat amice moneo; non deero ulteriore informatione ipſi patriæque inſervire.

Incredibiles ſane Theſauri iis locis abſconditi latent, omnibus ignoti, liquefactionis ope nil omnino exhibentes, quoſque non niſi aquæ acrioris beneficio metallica fixavè reddere cogimur, quod patriæ in gratiam aperire atque notificare volui.

Noli de his judicare Zoile, rem non intelligens, quin potius vinum tuum examina; quodque præſtet Heubachenſe nempè, Klingenbergenſe, an Wertheimienſe nobis indica. Nullus ſanè horum liquorum quamvis fortes ſint ad id ut ♀ atque ☉ ex Talco eo extrahant conveniens eſt; fortior magis exigitur, Spiritus ſcil. aliquis Salis nitroſus aut Spiritus Nitri Sale communi acuatus. Extractione peracta ex menſtruo reſiduo nitrum copioſe colligi poteſt. Ut adeo nil niſi labor exigatur, ſumptus etenim nullius conſiderationis ſunt, qui ad opus hocce requiruntur, paucoque ſic temporis ſpatio cupri ☉ copiam ingentem comparare nobis poſſumus.

Ad

Ad eundem modum, quo ex abjecto ejuſmodi Talco aliiſque lapidibus ☉ volatile ope Salis-petræ extrahi fixumque effici poſſe tradidimus, & variis aliis ex mineralibus, copiosè ſatis ab utraque parte Mœni ſe exhibentibus; idem elicere poſſumus. Sic ut omnibus anſa præripiatur dicendi, in hâc aut illâ regione non reperiri metalla, aut mineralia idonea, ex quibus ad præſcriptum *Glauberi* ☉ volatile atque etiam maturum extrahere queamus.

Talia ſi reperiantur iis locis Mœno adjacentibus, quæ ejuſmodi theſauris privata ſemper judicavimus, quid non reperiemus iis, quæ jam ad aliquot centum annis varii generis metalla nobis exhibuêre, & adhuc quotidie exhibent, ut ſunt *Haſsia*, *Ducatus Brunſvvicenſis*, *Saxonia*, *Thuringia*, *Moravia*, *Bohemia*, *Vngaria* ſimileſque terræ partes metallis ſcatentes. Ne itaque tibi perſuade amice lector ullum dari locum, in quo non ex terrâ bonâ plurima extrahere valeamus.

In *Belgio* noſtro varia metalla inveni, cum tamen nullus unquam vel minimum eorum in eo reperiri audiverit, maximè illa ejus parte quæ *Velauvv* vulgo appellatur, utpote quæ venas ferri ut & arenam albam quæ ☽, nec non terram flavam quæ ☽ atque ☉ poſſidet, exhibet.

Nec tantum ejuſmodi arenam, lapides, atque terram locus ille poſſidet, ex quibus ☉ atque ☽ vo-

volatile extrahere licet, verum etiam ad maris littora in tumulis arenariis belgice de *Duynen* appellatis, quos maris tempeſtas congeſſit, lapilli cærulei coloris metallum ♀ continentes, ſe offerunt, Belgis *Vltra marin* nominantur.

Colligitur & hîc loci copioſè *Oſtiocolla*, longitudinem craſsitiemque digiti, imò quandoque & brachii integri habens; ſereno cœlo hæc ut facilè notatur, ita pluvioſo omninò diſparet, intus aliquo modo excavata eſt, colore inſtar lapidis calcarii albicans, ſignaturam oſſium fiſtuloſorum referens, unde & à Chyrurgis ad conſolidanda oſſa fracta ægris exhibetur.

Sunt qui ☽ ex eâ extraxêre, ut mihi retulerunt. Nullus itaque locus eſt, qui non metallum aliquod ac precipuè ☉ atque ☽ contineat.

Quis jam tantum in pectus ſumet confidentiæ, ut ſe Farneriano more dictis hiſce opponere audeat? Nullus præter diabolum, utpotè qui omnibus modis in id incumbit ut humano generi bonum omne eripere, mendaciiſque ſuis veritatem odioſam reddere queat. Ab ejuſmodi diabolis cavere nobis debemus, omnibus enim invident, quin potius omnes ſuum ad exemplum ignorantes volunt, quæ vera Satanæ nota, ut piorum hominum contra eſt, omnibus benevelle, proximoque ſuo doctrinâ atque informatione bonâ inſervire, & quantum poſsibile, eundem ex errore in viam rectam deducere.

Vidi-

Vidiſti hîc lector amice, ubique terrarum ejuſmodi ſubjecta dari, quæ ſi non etiam ☉ fixum, volatile ad minimum contineant, ut adeò nullus habeat, quod ☽ atque ☉ ſibi à naturâ denegata eſſe conquæratur, modò ipſe ea extrahere ſciat aut velit.

Germania ſi theſauros eos quos terra continet cognoſceret, eoſque ritè uſurparet, nullius ſanè Monarchæ poteſtati cedere neceſſe haberet. At videtur Deum hominibus cœcitatem intuliſſe, aut ſaltem eos cœcos reſervare, uſque dum ſuos juvandi tempus conveniens accedat.

Modum divitias potentiamque acquirendi patriæ hîc exhibui, quâ ratione autem ſecundum inventum meum celeberrimum ☉ volatile æque ac fixum ex lapidibus, arenâ atque argillâ abſque alicujus conſiderationis labore aut ſumptu extrahere queamus, in laboratorio meo, quod Deo permitte ante amicorum in gratiam exſtruere incepi, ad oculum patefaciam.

Quod autem in deſcriptione Inventi hujus vocabula nonnulla omiſerim, ideò factum eſſe ſcias, ne alias nobile ejuſmodi artificium inimicorum in manus incideret; amicis obſcuriora illuſtrare nunquam deero. Præcipua ſatis clarè tradita ſunt, iis, qui Chymiæ aliquo modo pe-

ritiꝰ,ut imperitis nil niſi fruſtraneus labor ſperandus ſit.

Res ipſa in ſe facilis, læviſque eſt, ut à nullo non intelligi atque tractari queat, qui ſemel tantum modum viderit.

Potuiſſem breviori ſtylo tradita exhibuiſſe, at commune commodum conſiderans nolui. Qui ex hiſce nil percipere atque ediſcere valet, Deum gratiam intelligendi ipſi concedere nolle, cogitet.

Quod ſi opus hocce magnificis laudibus extuliſſem, neutiquam indecenter egiſſem, eò quod labor hic etiam ipſis in tenebris fulgeat, plurimaque dubia firma claraque reddat.

Hoc enim mediante labore non ſolum ☉ atque ☽ plurimum facillimo negotio nobis comparamus; verum & medicamenta optima, haud vulgaria indicantur. Imò deciduum ipſum Salpetræ eſt, omnium Vegetabilium medicamentum præſtantiſſimum, quippe eadem multifariam multiplicare valet; ut adeò operis hujus gnarus, quique illud inſtituere haud detrectat, nullius rei unquam futurus ſit egenus.

Quæ majora homo à Deo petere poteſt, quam corpus ſanum, panem quotidianum, & ☉ atque ☽ quantum neceſſitas exigit; hæc dona Dei per hunc laborem abundè nobis obveniunt.

Si non impii Farneriani, qui omni bono indigni, omneque quod non intelligunt, contem-

tem-

temptui habent, longiore clarioreque ſermone hæc pertractare inhiberent, totus obſtupeſceret terrarum orbis, metallorum facillimam adeò obſervans emendandi perfectioraque efficiendi mothodum, pauciſſimis notam. Quicquid autem hîc prætermittimus, brevi volente Deo in *opere* meo *Saturni* tradetur, ubi qua ratione ex vili plumbo ☉ atque ☽ extrahi, ſummo cum fructu queat, demonſtrabimus, ita ut nullo alio ſubjecto præter plumbum & Sal terræ aut ignem mineralem (cujus ope omnia metalla natura ad maturitatem perducit) ad hunc laborem indigeamus, hincque vox *Alchymia*, quæ nil eſt niſi ſalis liquefactio, ortum duxiſſe videtur.

Qui itaque ope Salis metalla volatilia, iterumque fixa reddere noverit, (quod non niſi ſolutione atque coagulatione perficitur) veram is atque infucatam cognoſcit Alchymiam, adhortationemque univerſalem Philoſophorum ſequitur, dū inquiunt: *Fac fixum volatile, & volatile fixum, ſolvite & coagulate*, &c. Qui aliquomodo Salpetræ tractavit, facillimè percipit, quid hîc velim, quove tendam. Cui paret Nitrum, parent omnia. Conſtitui Deo permittente, Nitro Triumphalem exſtruere currum, illudque ut maximum mundi Monarcham ei imponere, inſciiſque exhibere, quicquid contra obganniant Ignorantes Farneri ſectatores, reliquique Diaboli filii, qui mendaciis opprobriiſque, odio &

invidiâ unicè moti, ne generi humano boni quid obtingat, veritati ſeſe opponere eamque opprimere ſtudent. Quem ob finem mali hi homines (ſi modò homines ſint dicendi) hæc faciant, quilibet vel monoculus videre valet, proprii nempè commodi ergò, quòd communi hominum ſaluti in totum præferunt. Hæc ſi non foret cauſa, quid illis negotii cum aliorum ſcriptis, cur ea contemnunt, rejiciunt, eorumque in locum famoſos libellos reponunt? Homo probus ſit an improbus, Dei an Diaboli filius, qui ſcire deſiderat, perlegat quæſo quæ habentur in fine *Annotationum mearum ad Continuationem Miraculi Mundi*, & indicia ſufficientia ad id ut dignoſcantur ejuſmodi, habebit. Spero interim Deum omnipotentem Diabolicæ illius Farnerianæ fraternitatis vincula quam primum ſoluturum, ad quod & meam operam tribuere haud cunctabor, hinc in laboratorio meo veritatem ſcriptorum meorum haud unius ſolum ſed plurium amicorum oculis ſubjicere atque exhibere in animo habeo, quorum vel unius fides majoris roboris mihi omnibuſque veritatem amantibus erit, quam quidem integræ Farnerianæ ſectæ, univerſo ſic patebit mundo, me non ſophyſmata ſed ea quæ veritati rei conveniunt, propoſuiſſe. Neutiquam ergo vires meas intentatas relinquam, accedenti Leoni Monarchæque Septentrionali viam præparandi, ejuſque,

que, amicitiæ me inſinuandi, quo meas partes ſuas faciat, inimicoſque meos perdat.

Hic etenim Monarcha omnes ſuos meoſque facili negotio ſuperabit hoſtes, licet vel pauperrimus ex ſtabulo prodierit. Currus triumphalis, in quo ipſum circumducam, in laboratorio meo, Deo volente, parabitur; lætabuntur ſpectatores, cum præparando huic currui operam adhibebunt, facillimum Monarchæ huic eſt, & me & ſeipſum ab hoſtibus defendere, quod Deo juvante brevi patebit.

Cum nunc itaque nobiliſſimum hunc ☉ volatile atque fixum, ex lapidibus, arenis, terriſque compendioſè extrahendi, eoque ☉ atque ☽ aliud ulterius augmentandi modum conſcripſerim, nil inveni prætermiſſum eorum quæ operi conficiendo utilitatem aliquam adferre queant, præter id: unde nempè ſubjecta ejuſmodi aurea ex quibus volatile fixumque ☉ extrahere queamus, deſumenda ſint? Aut quo modo ejuſmodi labore in copiâ prædictâ parari queant? His reſpondere, differre nec volo nec poſſum.

Quod itaque ad materialia aurea, jam ſatis oſtenſum, illa ubique reperiri, & poſito, nulla reperiri, nunquid argentum aureum ubique datur, quorum illud ſeparari ab auro, cœmentari, iterumque aureum reddi, quotieſcunque libuerit, poteſt. Imò & ex ſtanno quo-

dam ; præcipuè Geyersbergenſi , ferro itidem aliquo, ☉ utiliter elici poteſt.

Ut magnâ copiâ tale quod fiat, ☉ lapidibus inhærens Spiritu Salis , quantitate parvâ Nitri fortificato ſolvere poſſumus , ſpiritus enim talis tanti non conſtat quanti quidem aqua nitroſa , præter id quod poſtquam jam uſum ſuum in præparatione dictâ præſtitit, Salpetræ optimum exhibeat , ejuſdem omninò pretii atque valoris, cujus ipſe Spiritus Salis fuit. Ut adeò hoc modo abſque illis ſumptibus ☉ extrahere liceat, humidaque hæc extractio in balneo vaporoſo optimè perfici poteſt.

Sin autem ſiccam quæramus viam , lapides cum Sale & Nitri parte quarta miſceantur, mixta terræ pinguioris ope (ita ut tantum cohæreant) in globulos redigantur , qui fornace ſingulari , aut etiam in agro igne ligni exſiccentur, quod horæ ſpatio perfici poteſt ; cœmentatione factâ , pulveriſentur, ex pulvere aquæ beneficio extrahatur lixivium , & habebis ſimul ☉ lixivio permixtum, ſolutionis ♄ni ope extrahendum ; ex lixivio poſtea conficiatur Nitrum. Ut adeò hoc modo Centenariorum aliquot pondere inſtitui queat operatio & facillima & neutiquam ſumptuoſa.

Quod verò liquefactionem ſpectat , Saturnique ☉ captum continentis reductionem , poterit ea peragi facili negotio , at tigilli ſingularis bene-

beneficio, cujus conſtructio mihi ſoli nota eſt, quod etiam ad longum tempus durabile eſt, neutiquam permittens aliquid contenti effluere, eò quod operculum habeat ex luto ſapientiæ confectum.

Verum enim verò hîc rurſus dubium ſuboriri, & quæri poſſet; undè in viâ humidâ tantum Spiritus Salis deſumimus, aut tantum Salis & Nitri in viâ ſiccâ, quantum quidem ad extractionem metallorum requiritur. Salpetræ pretioſum eſt, & Spiritus Salis difficulter in tanta copiâ parari poteſt, illa forſan pluris nobis conſtarent, quam quidem ☉ inde extractum valeret? ſed his reſpondeo, ad hoc opus Salpetræ emere, præciſè neceſſe non eſſe, quum ſolvens dictum, ubi uſum ſuum æque in ſiccâ ac humidâ præparatione, præſtitit, ope ſalis vulgaris aliorumvè vilium ſubjectorum, in Nitrum optimum iterum verti queat, ita ut plus nitri indè accipiamus, quam quidem antea erat. Spiritus itidem ſalis copioſè admodum confici poteſt, ſic ut indies unius fornacis beneficio ejus 50, 60, 70, imò 100 ℔ parari queant, & ex quavis ℔ Salis, 2 aut 3 ℔ carbonum auxilio, Spiritus Salis rectificati extrahere liceat libram integram, ita ut ſpiritus ille præter Sal & Carbones nihili fermè conſtet, qui dein poſt uſum debitum plus largitur Nitri, quam Sal Carboneſque conſtant; poteſt itaque operatio hæc ullis quaſi ſine ſumptibus

 inſtitui.

inſtitui. Quæ hîc adfero, vera ſunt, quamvis probè noverim, ex centum vix unum dari qui dictis fidem adhibere velit, mea nil refert, ſed ſufficit mihi, me hæc ſcire, amicisque meis exhibere poſſe.

Qua ratione autem fornax talis, in qua magna Spiritus Salis copia præparatur, exſtrui debeat; & quomodo tigillum ejuſmodi, in quo materia optimè fundi queat, abſque eo quod effluat, publici hîc juris facere inſtituti mei ratio non permittit, ſufficiat me ea in laboratorio meo amicis meis monſtrare poſſe.

Licet autem labor hic ☉ volatile æque ac fixum ex metallis, arenâ, & argillâ, extrahendi, ad normam præſcriptum, facillimus ſit, nulloſque ſumptus exigat; nullus tamen dubito fore, ut plurimi pigritiei deditorum adhuc majorem facilitatem hîc deſiderent, quo abſque omnibus moleſtiis magnam ☉ vim congerere poſſint. His ſanè & faciliorem ex mineralibus ſine liquefactione ☉ extrahendi viam modumque monſtrare poſſem, ſi non indecens omninò ducerem amicis atque inimicis indiſcriminatim omnia patefacere; neutiquam iis qui merentur, & erga me meoſque beneficium agnoſcunt, ſecretiorem meum modum communicare intermittam.

Sed tamen ut res aliquo modo pateat, & quo pacto ☉ aut ☽ ex montibus ipſis eruendum ſit,

co-

cognoſcatur, ego tractatus mei filum paulum extendam, opuſque ipſum aliquo modo delineabo.

Sciendum itaque eſt, omnia illa mineralia, quæ ☉ fluxile aut volatile continent, ſive ſint lapidea, ſivè non, ferro plerumque eſſe donata. Cum itaque quis ☉ per Spiritum ſalis extrahere exindè voluerit, fieri nequit, quin ſimul ſolvatur ferrum ipſum, ad quod perficiendum Spiritus multum requiritur, & licet eundē ad modum à me traditum facillimè conficere, imò ex eodem, poſtquam extractioni ☉ inſervit, additâ vel viliſſimâ aliquâ materiâ Nitrum optimum iterū parare queamus, ita ut nitrum indè extractum majoris pretii ſit, quam ſumptus ad operationem impenſi, non tamen negotium hoc omni caret labore & moleſtiâ, impigroſque requirit homines, quorum defectus magis quam copia datur. Hæc autem de quibus in præſenti nobis ſermo eſt, ruſticus impubes, 10 aut 12 annorum, efficere poterit, ignem exigit parcum, & magnâ copiâ omnia extrahi poſſunt. Quod ut fiat, ubi ſulphurea metalla eſſe cognoſcis, ſulphur illud ignis vi auferre debes, alias enim Spiritus Salis omnia intacta relinquit.

NB. Conſultius tamen eſt, ignis vi ex aureis ſilicibus ſulphur haud auferre, cum ſic & ☉ ſpirituale ex parte abeat; quin magis lixivio forti ex nitro fixo parato extrahere, ♀ quæque tale aureū

☿rio ſoluto præcipitare, ſic ♁ aureum fundum petit, hoc edulcorandum, & ♄, ♀ aut ☽ addendum, ſic ea arripient volatile, & ope lixivii aliquo modo fixum redditur ☉, ☿ deſtillatione ſeparandum; aquæ edulcoratoriæ exhibent itidem nitrum. Sic ut extractio nullos, vel paucos ſumptus exigat.

NB. Ubi ſulphur aureum, ope nitri fixi, aut alterius fortioris lixivii ligni, ex ſilicibus extraximus, & cum ſoluto ☿ præcipitavimus, edulcoravimus, atque per retortam ſublimavimus, elegans indè conficitur Cinnabaris, quæ additâ limaturâ argenti, cæmentatione in ☽ fixum mutari poteſt, quod ☽ aureum eſt, ob ☉ volatile, quod ♁ri fuit permixtum. Cum aliàs hoc modo Cinnabaris alia ſolum ☽ exhibeat, eò quod limatura ☽ addita volatilis fiat, abeatque in auras, Cinnabaris enim animam ei extraxit, eâque fixam ſe effecit, ſic ut nihil utilitatis indè redundet, niſi quod naturæ poſſibilitas patefiat. Ubi verò Cinnabaris hujus loci, edulcorato, ſaleque precipitato ☽ fluxili, aut calci ♄, ſoli aut etiam utrique, miſcetur, avidè ſe invicem recipiunt, lapiſque indè exſurgit niger, qui per gradus igne apto, debitoquè tempore detentus, fixitatem indies acquirit; putem tamen ipſum diutino indigere tempore, ad id ut fixus omnimodò fiat; cujus rei experientiam cum nondum habeam, nec certi quid de ea hîc adferere licet, forſan parti-

particularis quædam Tinctura indè elici poterit, eò quod ſubjecta ipſa ipſum conſtituentia optima ſint, ſulphur etenim ut omnium metallorum dicitur eſſe pater, ſic ☿ mater. Nonne ex quovis vegetabili, 🜍 ardens, communiori minerali, quod omnibus metallis ineſt, haud abſimile, arte elici poteſt? quod non ſemel ſubjectis mercurialibus inſerui, in iiſdemque fixum feci, imò cujus ope ſic ☉ naturale inde extraxi.

Mirandum equidem eſt, hanc ſcientiam improbis mundi incolis hucuſque fuiſſe incognitam, nec ullum eandem ſcriptis tradidiſſe. At verò mirari debent omnes qui Deum opt. max. dona ſua, cognitionemque naturæ, non niſi cui libuerit, dare, humilis nempè, piique animi, impiis contra ſuperbiſq; eadem negare perpenderit.

Scitu hîc quam neceſſarium occurrit, ei maximè qui aliquid cum fructu in Chymiâ efficere optat, nullam omninò ſivè univerſalis ea ſit, ſivè particularis, metallorum emendationem fieri poſſe, niſi beneficio omnium metallorum parentis, 🜍ris, tam in viâ humidâ quàm ſiccâ. (NB. Spiritus Salis, Nitri, vitrioli, ſulphuris, etiam rationem ſulphuris habent, licet humidioris, ſuumque uſum in viâ humidâ præſtant.) Si itaque omnia metalla primò fuere 🜍; (nullum enim exhiberi poteſt, in quo illud non reperiatur, præter id quod & in omnibus vegetabilibus notetur adeſſe) quâ ratione fieri poſſet, ut non ejuſ-

ejuſmodi 🜍 ope ſalis igniſque apti ad fixitatem redactum, ☉ bonum exhibeat, utpote quod ipſum nil niſi 🜍 fixum purum eſt. Quoniam verò ſulphur, utpote quod eſt generis maſculini, ſolum metallum aliquod producere nequit, ſed ipſi ☿ quæ eſt generis fœminini neceſſario adjungi debet; quivis ſulphuri ſuo, ut viro, ☿rium aptum ut fœminam quærere tenetur, hanc illi jungat, hique nuptias in infernis, præſide Vulcano celebrent.

Cum jam agens egit in patiens, & operationem perfecit, ſivè per humidam ſivè per ſiccam viam, productum purum ſe exhibet, eoque purius, quo agens & patiens puriora vel impuriora fuerunt. Fertile ſemen pinguiori quando committimus agro, fructus inde boni proveniunt. Sit hîc ſulphur ſemen, ☿ verò ager ipſe, ita tamen ut Sulphur purum ſit, nec Mercurius zizaniam contineat, quin debitè Sale præditus ſit, fruatur ſic phœbi radiis fructuſque inde proventuros patienter exſpecta. Si verò ſubjectum tale tibi obtingat, in quo ſulphur cum Mercurio jam à naturâ conjuncta ſunt ibi ſolum operationis initium ſumendum tibi eſt, ubi natura deſinit, adeoque ope ſalis atque ignis illud ad perfectionem debitam deducis, quod natura ob Salis igniſque defectum nolens volens imperfectum reliquit.

Fundamentum quidem hîc veræ medicinæ Her-

Hermeticæ ſtudioſo exhibere poſſem, ex quo commoda plurima exſpectanda forent, at ingratitudo hominum hujus ævi ejuſmodi divulgare prohibet; *Paracelſum* itaque hic ſequor, dicentem, *Verbis quidem pauciſſimis arcana maxima patefacere poſſemus, ſi Deo collibitum foret omnibus eaſdem concedere divitias*; Pervolve lector ipſius ſcripta, & veritatis fundamentum facillimo negotio attinges, præcipuè omnium quæ de ſulphure atque Vitriolo nobis reliquit, in tui gratiam commodumque hoc loco ob materiæ affinitatem recenſenda, ex quibus qui ſe extricare non poterit, hic ſane ne quidem ea intelligeret, quæ nos adderemus; jam ſufficienter omnia patent iis, quibus ſua Deus concedit, impiis contrà eadem occulta ignotaque ſemper manebunt. Hoc addo, nec tincturam ullam abſque 🜍re impetrandam, nec ☿ ullum abſque ſale figendum, utraque autem hæc in vitriolo conjuncta reſidere, à quo ſuperfluum noxium ſeparari, purum vero fixum reddi debet; quod Philoſophi veteres occultè his propoſuêre verbis: *Viſitabis interiora terræ rectificando, invenies occultum lapidem veram medicinam.*

Se-

Sequuntur verba Paracelſi *de Sulphure & Vitriolo.*

DE ſulphure ego vobis tanquam peritus experientiam meam in omnibus proponam, quidnam in 🜍 contineatur, tam ſecundum Medicinam quam Alchymiam, & cætera, & niſi Deus obſtet ac prohibeat, ſtupenda adeò & admiranda opera ſulphuris ſunt, ut naturale in homine lumen ea ſatis admirari non poſſit. Quod ſi Deus non impedit: defectus eſt in artificibus, ſulphur ita tractantibus, ut operatio inſitæ virtuti non reſpondeat. Cum enim quilibet blatero Medicus, quilibet garro Alchymiſta ſit, hæc cauſa eſt cur ſcientia planè in apricum proferri non poſſint. Fundamentum a. hoc eſt, quod in 🜍 utriuſque facultatis arcana tanta vireſque contineantur, quanta à nullo ſatis indagari poſſint, quod inquam virtutes tam præſtantes in eo lateant, ut eæ jure merito omnibus admirationi ſint. Poſt longam enim in utraque facultate captatam experientiam, eæ ſulphuris vires compertæ ſunt & cognitæ, ut multa alia non exiſtant quæ ipſo aut ſuperiora ſint, aut cum eodem comparari in Medicinâ ac Alchymiâ poſſint. Sulphur caſtigat Ariſtotelem, dicentem, rerum ſpecies mutari non poſſe, 🜍 enim tranſmutatur, ſi hodie viveret Ariſtoteles, ad ruborem & pudorem totus ageretur. Hactenus ille, plura quæ addit, quilibet apud ipſum legere poterit. Quod me attinet, ſine *ſul-*

phure

phure aut *ſalibus ſulphureis* in Alchymiâ nihil omninò effici poſſe dico, ſimiliter ut abſque ſemine vegetabile aut animale generari neutiquam poſſe conſtat; *Sulphur*, ſeminis loco eſt, Mercurius verò matricis; nec eſt quod de vulgari ſolum 🜍 & ☿ me ſermonem hîc inſtituere putes, comprehendo enim & ſub illis longè excellentiora, quod benè attendendum.

Metallum ſiquidem ſulphureum haud fuerit, ad mollitiem debitam ignis vi perducendum eſt, quod fit ubi candens aquâ aliquoties extinguitur. At verò ſi molle ſatis jam anteà fuerit, ſola pulveriſatio ſufficit, abſque ulla incandeſcentia atque extinctione. Pulvere hocce ahena ex ferro fuſione parata, atque quo minor ignis copia requiratur concamerata ſeu muro obducta, ad dimidium reple, eique ſivè metalli ſit, ſivè arenæ, lapidum aut argillæ, ſivè mineralium aureorum, aquam mox deſcribendam eà quantitate affunde quam ahena capere valent, ſic tamen ut ad 3 aut 4 digitorum tranſverſorum latitudinem vacua remaneant, ne inter movendum agitandumque aliquid ejus effluat; hinc ad pondus centum librarum metalli, magnetis aurei argentei circiter ℔j adde; quo facto ignem ahenis ſuppone, coctionemque aquæ promove, continuò ſpatulâ ferreâ materiam ahenis contentam agitando. Cum ergò aquæ hujus ea conditio ſit, ut nec ☉ nec ☽ ſolvere valeat, relictis

☽ &

☽ & argento ſolum ferrum aut cuprum, ob magnetis admixtionem attrahit. Aqua, ubi tantum ♂ aut ♀, quantum potuit, attraxit, auferenda eſt, aliaque de novo affundenda, procedendumque coctione ad modum jam præſcriptum, toties opus hocce repetendo, uſque dum omne ♂ aut ♀ ex metallo extractum fuerit, & nil niſi arena mortua reſidua maneat, quæ ſeparari facillimè à magnete poteſt, per affuſionem aquæ communis, huic enim ſe arena miſcet, magnes autem purus in fundo hæret, qui ☽ atque ☉ in ſe recepit. ☉ hoc atque ☽ à magnete facilè etiam ſegregatur; qui ad ſimile opus poſtea iterum adhiberi poteſt. Unica ergò perſona hoc modo metalli copiam ingentem à ſuo ☉ & ☽, quotidiè ſeparare poterit. Artificium totum in præparatione aquæ illius, quæ ♂ atque ♀ ex metallis extrahit, conſiſtit, adeoque ejus naturæ ſit requiritur; ut nec ☉ nec ☽ ſolvat, & tamen fortis ſatis ſit ad id ut ♂ & ♀ ſolvere atque ab ☉ ſeparare valeat, cum magnes ☉ ex ♂ & ♀ extrahere nequeat niſi antea ſoluta fuerint.

Qualis autem hæc aqua ſit, divulgare neceſſarium minimè eſt cùm totum negotium ab eâ dependeat, nec extra ejus cognitionem aliquid efficiendum. Cùm jam ♀ & ♂, aut etiam ♀ ſolum vel ♂ ſolum aquæ dictæ beneficio ex lapide extracta ſunt, contrarii alicujus additione præcipitatio fieri poteſt, quâ efficitur, quod non tan-

tantum acredo ejus tollatur, ſed etiam nitrum optimum inde poſteà parari poſſit, à ♂ aut ♀ ſeparandum. ♂ præcipitatum igne forti reduci poteſt, ſic fluxile reddetur, quod in crucibulo, ad modum ♀, facilè liqueſcit, ductileque fit, imò majoris pretii quam optimum ♀, eò quod in Alchymiâ utilia plurima præſtet, certis de cauſis hic reticenda.

Cui ergò menſtruum aut ſolvens tale cognitum eſt, quod nullos ſumptus ad ſui confectionem exigit, & tamen ♄ atque ♀, relictis ☽ & ☉, benè ſolvit, is ſanè omnibus locis ♄ & ♃ quæ ☉ atque ☽, fixa æque ac volatilia continent copioſè reperiet, nec quod de metallis aureis ſollicitus ſit neceſſè habet. Ut adeò artificium totum in ſolâ cognitione aquæ & manualibus magnetem collocandi, inutiliaque omnia ab ☉ atque ☽ ſeparandi conſiſtat. Magnetem talem qui non novit, & Solvens tale, cujus ope ☉ atque ☽ concentrari, atque ♀ & ♂ ab iis ſeparari poteſt, præparare ignorat, is inquirat oportet, ſimiliter ac ego feci, quodſi verò neutrum invenire aut excogitare valet, eſt quod ex me ea quæ ſcire deſiderat, expiſcetur, neutiquam (dummodo abſque meo damno, & inquietudine id fiat) ipſius petitioni ſatisfacere detrectabo. Non tamen ideò omnibus, litteris ſuis prolixioribus me moleſtantibus, reſponſiones daturum me ſcias, tēporis enim ratio tale quid fieri haud permittit.

Alio adhuc modo ex ejuſmodi mineralibus, multum ♂ poſſidentibus, commodum exſpectare licet, ſi hâc ratione ea tractemus. Reducatur igne follis fortiore, & reperi.s, prout multum parumve ♂ lapis poſſedit, in fundo vaſis regulum magnum vel parvum, qui in ſe ☉ atque ☽ quod in minerali fuerunt continet. Ferrum tale ubi ductile fuerit, ex regulis illis laminæ parari poſſunt, in ahenis ex ferro fuſione paratis ſecretâ illâ aquâ ſolvendæ, ex qua ſolutione ad modum ſupra traditum ☉ beneficio magnetis extrahi poteſt. Ubi verò fragile illud fuerit, nec malleolatum, granulari idem poteſt. Imò haud inconveniens foret ahena ampliora ollaſque ſimiles fuſione inde parare, craſſitiem 2, 3, aut 4 digitorum tranſverſorum habentia; Nec eſt quod putemus illud quod aqua dicta ab aheno aufert, & de ſubſtantiâ illius ſolvit, præter id quod à laminis aut granulis ipſi ad ſolvendum impoſitis recipit, perire omninò, ☉ enim ſuum itidem exhibet, ſic ut hâc ratione aurifodina ditiſſima exſtrui queat.

At inquiet aliquis, *undè nobis ejuſmodi Mineralia, ☉ exhibentia, commodumque ſummum adferentia?* Jam ſupra ejuſmodi ferrum poſſidentia mineralia ubique reperiri diximus, nullum vulgare reperire licet ♄, quod ☉ non habeat, facili negotio indè maximoque cum fructu extrahendum; Ut hoc plurimis quidem cognitum eſt,

corpo-

corporale nempè ☉ copiosè in ferro quo communiter utimur, reperiri, quod copiâ à volatili longe ſuperatur, at opè fuſionis, & additione plumbi illud ſeparare velle, ſumptus nimios cùm exigat, nunquam exindè illud extrahendi modum aliquem tentarunt homines.

Hujuſmodi ferrum auro præditum Germania tota copioſiſſime alit, & loca ejus varia admodum in quibus illud reperitur monſtrare poſſem, ni cauſæ prægnantes id facere prohiberent. Ingratitudo hominum hujus ſeculi clarius ſcripta ſua proponere vetat, præſtat enim tacuiſſe quam ſua divulgaſſe, ubi nil commodi ſperare licet.

Ethnici certè in hoc quod præmiis magnificis nunquam non authores nobilis alicujus inventi donarunt, longè Chriſtianis antecelluere, undè etiam fit, quod multa patriæ utilia celentur.

Inventum centum boum mactatione dignum, inquit Celeberrimus Mathematicus Archimedes, quo dicto notificare voluit, juſtum omninò & æquum eſſe ut ei qui aliquid invenit, centum bonum pretio æſtimandum, unicus ad minimum bos dono detur. Hoc ſanè noſtro tempore vix partem quartam, multo minus bovem integrum homines inventori exhiberent. Patriæ benè faventes nec ea reportabunt hodie quæ olim *Virgilium* canum Imperatoris Auguſti curam

gerentem reportaſſe legimus, quotidie nempè panis certam quantitatem; multò minus quod idem equos ejuſdem Imperatoris ægrotantes ſanitati reſtituens accepit, panis ſcil. quantitatem duplicatam. Ne quid dicam de iis quæ ultimo omnium honorarii loco ab eodẽ impetravit, donis cæſareis, propter quæ etiam Auguſtum mox in initio ſuorum ſcriptorum alicui amicorum oblatorum, Dei nomine donavit; ejuſmodi immenſa dona, plurimaque poſtea beneficia quod in Virgilium contulerit Auguſtus, anſam dedit eruditum ipſius effatum quòad interrogationem Cæſaris: cujuſnam filium Cæſarem Virgilius diceret? piſtoris reſpondit, eò quod nil niſi panem Virgilio de aulâ ipſius maxime merito redhoſtimenti loco exhiberet.

Ex his & ſimilibus, quanti ſemper habiti fuerint viri periti, patriæ commodum aliquod adferentes, evidenter conſtat. Tot & tanta retulit dona *Virgilius*, quod canum, equorumque Cæſaris curam haberet; an hodie ei qui & omnes homines ægrotantes ſanitati reſtitueret, qui ſanè excellentioris ſunt conditionis quam quidẽ equi & canes, & ſimul Theſauros ingentes indicaret, vel minimum gratitudinis ſignum exhiberetur? vix crediderim; & hæc cauſa eſt, cur plurimi ſilentii ſupparo plurima involvant, alias revelanda.

Quo verò omnibus, me vera referre conſtet, nec

nec vanè Theſauros magnos, qui quidem in Germaniâ undique reperiuntur, & tamen, ex eo quod ignorantur, nulli uſui cedunt, deſcribam; digitis quaſi eorundem nonnullos demonſtrabo, qui forſan reſpectu aliorum, mihi nondum notorum pauciſſimi & viliſſimi erunt.

Primò omnium, Ferrum omne quod in monte Pinifero & circa eum reperitur, ☉ fixum æquè ac volatile continet, ut hujus rei experientiam ante aliquot annos cum Kitzingæ Francorum degerem, non raró feci, ignis fuſorii ope ☉ optimum inde extrahens; modus enim, ſolâ aquâ, abſque ullâ fuſione ☉ exinde extrahendi, mihi tum temporis nondum patebat. Viri enim Spectatiſſimi, D. *Chriſtophorus Herbſt* Principis Anſparſienſis Archiater, & D. *Adamus Renningen*, ejuſdem principis Sattrapa & Architriclinus, in caſtello Blaſſenburgico prope Culmbach, varii generis mineralia eo tempore mihi, quo quid continerent explorarem, offerebant; Inter hæc ferrea omnia auro prædita eſſe comperi, quæ ſummo cum fructu, viâ ſupra detectâ humidâ, exinde extrahere liceret. Ejuſdem & conditionis Metalla lapideſque, mihi exhibita ſunt, propè *Bambergam* copioſè reperta, de quibus jam ſupra egimus. Hujus rei veritas eò magis comprobatur, quod paucos antè menſes D. *Fleiſhman*, provinciæ Bambergenſis præfectus, amicus meus ſingularis aurifodinam optimam

in provinciâ Bambergenſi reperiri, ad me ſcripſerit, cujus tamen aurum ignis vehementiâ minimè à ferro ſeparari poſſit; quam ☉ volatilitatem emendari facillimè poſſe, reſponſoriis meis ſignificavi.

Quemadmodum verò Mineralia omnia, ferrumque ipſum, quæ propè montem piniferum inveniuntur, auro maximè prædita ſunt, ita ea quæ in *Miſniâ*, *Saxoniâ*, *Thuringiâ*, atque *Bohemiâ* reperiuntur, argento, quorum utrumque non ſine maximo fructu inde per modum à me traditum extrahi poteſt.

In Auri argentique fodinis *Vngaricis* ex ignorantiâ plurimum argenti aurique volatilis in auras abire experientiâ edoctus ſcio.

Per *Corinthiam*, *Styriamque* univerſam metalla volatilis æque ac fixi ☉ multum poſſidere certus ſum, maximè metallum ferrarium, pluries enim experimentum ejus rei feci.

Ejuſmodi Mineralia etiam *Hircinia ſylva*, *Brunſvvicum*, *Haßiaque* exhibent. Nec *Svvevia* ferro tali, auro prædito deſtituitur, ut inter alia declaratur indè quod paucis ab hinc menſibus ejuſmodi ferri portionem præfectus quidam Baſilienſis ad me miſerit, experimentum minus ibidem x aureos ☉ exhibuiſſe, centenariumque ♀ florenorum pretio vendi, ſimul referens. Quod ferrum ubi ignis fuſorii ope exploravi, ingentem

ſatis

ſatis auri copiam impetravi , duplum vero aut triplum via meâ humidâ incedendo.

Hujus generis lapides ferri per totam Germaniam copiosè reperiuntur, ad quos referuntur Talcum rubrum & nigrum , Talcum ferreum, Granati nigri & rubri, Smiris, Hematites, & ſimiles, ☉ ſemper præditi, ſi non fixo , attamen volatili. Ut adeò manifeſtè pateat , iis in locis ubi ☉ effoditur , lapides omnes ☉ volatili ad minimum ſi non etiam fixo repletos eſſe , ſimiliter uti ferrum omne, quod in Hiſpaniâ effoditur, præter ☉ volatile, corporale quoque continere certum eſt ; imò nec ſolis locis calidioribus lapides ejuſmodi aurum poſſidentes reperiri, ſed & frigidiſſimis, Norwegia teſtatur , ubi montes ingentes ex ferro, Talco , atque granatis conſtantes occurrunt, ex quibus ☉ ignis fuſorii ope hactenus colligere haud licuit cum aliquo fructu , licet ipſe Experimentis minoribus ☉ invenerim.

Ex Comitatu *Eyſfeldienſi* præterito anno metalla varia mihi obtulit Dominus J. W. quo quid contineant explorarem, inter alia granula quædam ferri, inſtar piſi rotunda, quamvis & minora, naturaliter ſic in terrâ genita; terra hæc , ut accepi , nigricans omnino eſt, cujus manipulus 10, 15, 20 grana continet, unde haud improbabilile terram omnem ejus loci ferro repletam eſſe ; Granula hæc tractabilia adeò ſunt,

ut malleo in laminas redigi queant, auri multum continentia.

Hujus generis grana ferrea nigricantia, (haud tamen rotunda adeo aut tractabilia quam modò dicta) ex *Saxoniâ* ad me delata ſunt, ☉ copiosè prædita, volatili, in pulverem redigi facilè poſſunt, & ut mihi relatum eſt, propè montem Germanis *Geyersbergh* dictum reperiuntur, ubi lapis ſtannarius, ☉ quoque continens, etiam colligitur, quale copioſius Miſnia exhibet. Ex centenario hujus ſtanni, ☉ aureos x aut xij extrahi quidem poſſe, percepi, at opus hocce ſumptus eos exigere qui pretiū ejus quod extrahitur longè ſuperant, undè etiam ſtannum prout effodiunt, vendunt, ne ſumptus ☉ extractioni impendere opus habeant.

Illud quod in monte dicto colligitur, ſæpius exploravi, nec unquam ☉ deſtitutū inveni, quod ſeparatione meâ humida optimè extrahi poſſet.

Similis conditionis lapides ferrarios, alioſque varios aurum poſſidentes unà cum mineralibus diverſis ante menſes 18 exploranda exhibuit *Abbas ſtabelenſis*, quorum quædam in Weſtphalia, quædam verò in provinciâ Luttingenſi colligebantur, qua parte parent hæc loca Electori Colonienſi, p. m. ex quibus qua ratione ☉ volatile extraherem, ut ipſe videret Princeps, ad me venit, at in itinere, domum repetens, obiit, ex illo tempore nil amplius ejuſmodi metallorum

aureo-

aureorũ eò accepi. Inter alia metallum ferrarium, cujus dimidium aureum admodum erat, in Weſtphaliâ reperiri cognovi, nullius uſus; eò quod metallici metalla illa à ſeinvicem diſcernere modum ignorarent, cum tamen ſecundum modum à me traditum & cuprum purum & ☉ ipſum à ferro facillimè ſeparari queat.

Probandi etiam olim mihi oblati varii ſunt lapides ferrarii à mercatoribus Colonienſibus, ac perſertim D. *Petro Sevelt* p. m. copiosè in montibus reperti auro maximè abundantes.

Præter hæc omnes Germaniæ montes terram flavam exhibent, ferro argentoque præditam, cujus generis ad me miſit Medicus quidam Erfurdienſis, quam propè Erfurdiam *Eysfeldiam* ad provinciam Moguntinenſem ſpectantem copiosè exhibere mihi indicavit.

Terram m. ejuſmodi argentum poſſidentem hîc in viciniâ, inter Arnhemum & Embricum ipſe reperi, at minoris valoris eſt Eysfeldienſi.

Quis ſcit an non etiam locus ille qui *Velavv* nobis dicitur, Theſauros ingentes abſcondat; argillam enim, terramque albicantem, propè Arnhemum reperi, ex quibus ☽ aliquid extraxi; imò & venas veras ferri ibidem inveni, quæ an ☉ & ☽ contineant, ignoro, nondum enim eas probare licuit, quod prima occaſione, Deo volente, efficere decrevi.

Patet ſic materiam boni aliquid utileque effi-

ciendi nobis neutiquam deeſſe, ſed ſolum otii amorem, quod plurimos Theſauros obvios ſatis negligamus, in cauſa eſſe.

Diverſæ omninò naturæ homines terra alit; quidã enim eorum deſides omnino ſunt, ignavi, atque ad labores nimis quam pigri, qui nihilominus pinguia ſatis corpora acquirunt; alii contrà diligentes nimium ſe ipſos conſumunt; quibus candelæ ardenti ſimilibus jure meritò de ſeipſis efferre licet; *Aliis inſerviendo conſumor.* Quantum jam utilitatis ad candelam ex eo, quod aliis lucem præbendo, ſeipſam conſumit, tantum & ad virum diligentem, aliis inſerviendo, ſeipſum enervantem ac conſumentem, maximè ingratis ab hominibus, redundat. Haud enim ad voluntatem Dei omnia peraguntur, quæ eſt: *Homo homini Deus*, ſed ad eam quæ eſt Diaboli: *Homo homini lupus.* Interim ad honorem luminis illius ſummi, omnis lucis originem, omnia dirigamus convenit, quo æternæ illius lucis aliquandò participes reddamur.

Hæc & ſimilia ſubjecta abjectiſſima omnibus mundi partibus, ubi montes habentur, copiosè ſatis reperiuntur, ex quibus ☽ atque ☉ Aquæ meæ nitroſæ ope extrahere licet, modò id efficiendi modus cognitus foret, qui ob hominum ingratitudinem ſummam hactenus inter arcana reſervatur. Annon ergò theſauros ejuſmodi colligamus, Deique in honorem ac Regnorum ho-

hominumque defenſionem uſurpemus, utile omninò? Nonne otioſorum copia ingens ſatis datur, quos vel invitare ad labores, vel ſi eos fugerint, regno expellere conveniret.

Vix crediderim cæcitatem hanc homines dereliᶜturam, priuſquam ad incitas redacti fuerint, at cavete vobis ne ſero nimis ſapere incipiatis.

Opus hocce, ſimiliter ut & omnis alia Metallorum perfectio per ſympathiam & antiphatiam peragitur, quod enim ☉ ac ☽ per antipathiam à ſe propellit ſolvens, hoc omne magnes mercurialis per ſympathiam avidè attrahit; cum ut ſimile ſimile amat, & ad ſe allicit, contrarium contrarium odio proſequatur & abigat. Contraria duo tertium ſemper generant. Agens ubi agit in patiens, & hoc præter voluntatem adeoque coactè patitur, nec ullo modo vim agentis effugere valet, neceſſariò ex iis melius aliquod exſurget.

Cum ▽ ▽æ additur, nulla patitur, eò quod utraque ejuſdem naturæ ſint, at cum aqua & ignis junguntur debilius patiens eſt, & ex iis tertium provenit.

☉is hoſtis Sulphur eſt fœtidum, atque volatile; ☽æ Sal commune, utraque quo vel fœtorem majorem habent, vel acredinem, eo & majorem hoſtilitatem exercent. Amore atque odio res maximæ peraguntur. Quæ arrident, alacritatem, lætitiam, atque vitam conciliant, contrà quibus abhor-

abhorremus tædium , dolorem atque mortem; quo ergò aliquid magis acceptum, eò & plus vitæ; quo minus, & plus doloris adfert. Perfectio itaque omnis viliorum Metallorum in ſolâ antipathiâ & ſympathiâ conſiſtit. Dummodo naturam metallorum ritè cognoſcamus, omnia facillimè perficiuntur.

Philoſophus aliquis in Italiâ, ut hiſtoriæ referunt, maleficium aliquod patravit, ob quod accuſatus, apprehenſuſque in carcerem conjectus fuit, hoc concluſus, nec prece nec minis, imò ne quidem ullis mediis eo perduci potuit, ut factorum ſuorum confeſſionem daret; At ultimò hominem nullius frugi ipſi adjunxerunt, qui graviter adeò verbis ipſum exacerbaret , quod dictus Philoſophus ferre non potuit , adeoque mortem diligere maluit, animum enim multò nobiliorem eſſe aſſerens, quam quod à tali ſcurrâ contumelioſis ſcommatibus afficeretur.

Eodem modo ſe habent Metalla, quò nobiliora & puriora ſunt, eo minus ſe impuris commiſcent.

Metallorum puriſſimum ☉ cum fœtenti, impuro & vulgari conglutinari nequit Sulphure, intercedit enim antipathia; ſolum Sal iis viribus præditum eſt, ut contrariantes naturas commiſcere & in concordiam redigere poſſit, iiſdem commixtis, ☉ fixum, Sulphur infixum ſibi ſimile reſpectu fixitatis reddere valet , aliàs unum

ſem-

ſemper odio proſequitur aliud. ☉ nihil perpeti poteſt, ſi non antea naturam Salis adſciverit, tumque per impurum Sulphur torqueri & in melius mutari poteſt.

Deus pati neutiquam potuiſſet, niſi naturam humanam aſſumſiſſet, & hæc à Chriſto ſi peracta non fuiſſent, nec vitiis contaminatum genus humanum cum Deo conciliari potuiſſet, quoniam autem mala jam perpeſſus in majeſtatem ſuam tranſiit, nihil in poſterum patietur, ſemel luit omnia. Errant adeoque turpiter, qui volunt, improbos homines peccatis ſuis quotidianis Chriſtum de novo crucifigere, quod tamen facere nequeunt, quamvis vellent; quod efficere non illis tantum, verum etiam Satanæ & inferis impoſſibile eſt & erit.

Si Judæi Chriſti hoſtes Chriſtum quotidie cruciare poſſent, Chriſtianis primas non relinquerent, verum id ipſi præſtarent, quod tamen illis æquè ac aliis impoſſibile eſt. Nonne miſer & impotens Deus Creator eſſet, qui ſe contra actiones calumniaſque creaturarum ſuarum defendere non valeret. Quos ipſi nobis Deos facimus ex ligno, lapide, Auro vel Argento, qui aures habent, nec tamen audiunt, oculos nec vident, manus, quæ non tangunt, illi æquo animo ferre coguntur, ſi frangantur, pedibus conculcentur, & ſi libuerit reſtaurentur, tales Dii nullas vires habent: Verus autem & æternus

nus Deus ſe ad pedes projici non permittit. Omnes qui peccatis ſuis Deum offendunt, propriam maximè offendunt animam, ipſorum enim malefacta Deo non nocent, ſed omne quidquid Deo intentant, ſibi ipſis inferunt. Deo nil mali adhæret, ſed eadem remittit ſpicula, in eum qui nocendi animo ea emiſerat, nullus impiorum Diabolorumque quotquot etiam fuerint, malorum minimum Deo imputare poterit, quæ Deus ſemel tulit, non ex noſtris viribus, ſed ex libero in genus humanum amore perpeſſus eſt.

Volunt Hiſtorici *Baſiliſcum* homines ſolo aſpectu occidere, ſi ei autem obvertatur ſpeculum planum, in quo ſemet intuetur, venenum à Baſiliſco ejectum reſilire à ſpeculo in Baſiliſcum ipſum eumquè interficere. Ita & cum Deo comparatum eſt, qui nec ab homine, nec à Diabolo affici poteſt, omnia enim tela venenata, quæ in ipſum mittuntur, ipſi non nocent, ſed in ea ejicientes remittuntur.

Deus Agens Univerſale eſt, non Patiens, inter agens & patiens ſemper excellit agens, patiens autem ſupprimitur, alioquin unum ab altero nil pateretur, omnis enim paſſio res eſt coacta & ſuperiorem agnoſcit. Cum Naturalia formas mutare tenentur, vincula diſrumpi neceſſe eſt, quod abſque ingenti paſſione fieri nequit. Rumpens aut agens nihil patitur, ruptum au-

autem, aut patiens maximè. Cum anima imperfectorum Metallorum, ſpirituoſum quæ ☉ eſt, à corpore ſuo divelli & vi ſeparari debet, ſine patientis dolore id fieri omnino nequit, pura enim ſpirituoſaque aurea ſubſtantia in corruptibilibus habitans corporibus, ubi corporalis fieri adeoque nobiliorem formam adſumere debet, prior forma neceſſario annihilari debet, quo latens corpuſculum prodeat & videri poſſit.

Et hoc alio plane modo quam vulgari, jam noto, quo cum aqua forti Metalla à ſe invicem ſeparantur, & poſtea liqueſiunt. Quod ſi enim aliquis unam maſſam Metallicam ex ♂, ♀, ♃, ☉, & ☽, liquefactione fecerit, deinde idem ope 🜅 vulgaris disjungere velit, nihil efficiet, 🜅 enim ☽ & ♀ tantum, & partem ♃ & ♂ ſolveret, & reliquum ☉ relinqueret: aut ſi quis affunderet 🜆, ex prædictâ maſſâ ☉ & ♀ cum parte ♃ & ♂ ſolummodo ſolveretur, & quod Jovis & Martis ſupereſt una cum ☽ relinqueretur, adeoque nullam omnino efficeret ſeparationem bonam.

Si quis autem hoc modo rem aggrederetur diceretque: ♄, ♀ vel ♃ ope 🜅 ſolvam, quantum poſſibile, ſic enim quod adeſt ☽, ſolvi debet, ſolutum autem per aquam ſalſam ex ſolutione præcipitabo, remanet itaque ☉, quod ab 🜅 ſolvi non poterat: aut, ſi Metallum 🜆 ſolvam, ſolvitur ☉, non ☽; poſſum itaque ☉

ex

ex ſolutione per lixivium præcipitare, edulcorare & liquefacere, adeoque ejus hoc modo compos fieri. Nec hoc procedit, hæc enim Metalla & in primis ♂ & ♃ nimis ſunt terreſtria, quæ ejuſmodi ſeparationem non admittunt, licet corporalis ☉ & ☽ plurimum prædictis Metallis adeſſet, cum tamen maxima pars fluxilis ſit & ſolvendo demum fixa & corporalis fieri debeat: hoc enim labore jam purum fixumque ☉ & ☽ alterari poſſet, ut magnes Mercurialis adſciſcere non valeret. E. G. Sume Metallum, uti ♂ ♃ vel ♀, quibus ut notum eſt, corporale ☉ adeſt, ſolve hoc 🜆, & præcipita ☉ per lixivium Salis fixi, coque cum ☿rio, vide, num illud præcipitatum ☉ in ☿rium tranſeat? Minimè, ☉ enim hoc in præcipitatione per lixivium cruſtam adeptum, h. e. ſalsâ terreſtreitate cinctum eſt, ita ut ☿rius attrahere ☉ nequeat.

Eodem pacto nec ☿rius ejuſmodi Calcem argenteam, quæ aquâ ſalsâ ex ſolutione præcipitata, adſciſcet aut attrahet, ob ſolam terreſtreitatem, quæ ex præcipitatione ipſi adhæret, unde alteratur & purâ formâ Metallicâ privatur.

Hoc verum eſſe, facili negotio experieris hoc pacto: Solve particulam puri ☽ in 🜅 & eandem quantitatem puri ☉ in 🜆, præcipita ☽ cum aquâ ſalſa, & ☉ cum lixivio, ita ut ☽ albicantis Calcis inſtar, & ☉ inſtar flavæ fundum petat,

petat, edulcora utramque calcem ſeparatim, modo, quo fieri poteſt, optimo, cum aquâ calidâ, ſæpiſſime, ita ut aqua edulcorans dulcis omninò maneat, has calces ſiccatas pondera, videbis aſſumptum ☽ aut ☉ quartâ parte fore ponderoſius, quam ante ſolutionem fuerat, quod ſolis ſalibus adſcribendum eſt, qui ſe in præcipitando adjunxerunt, & edulcoratione inde ſeparari nequiverunt: quocircà calx talis argentea, ubi liquefit, non purum corpus Lunæ eſt, ſed maſſa quædam cinericea, fluxilis & volatilis ob Sales; hæcque calx neque ante neque poſt liquefactionem in Mercurium mutatur, neque poſt liquefactionem per 🜂 aut 🜅 unquam ſolvi poteſt, quæ alteratio à ſolis ſalibus, qui in præcipitatione acceſſerunt, originem habet.

Eodem ſe modo res habet cum ejuſmodi Calce aurea, quæ per lixivium ex 🜅 præcipitatione ſeparata, Mercurium non ingredietur ob cingentes eam impuritates, quapropter hæc Calx aurea, ubi incaleſcit, incenditur, & vehementer in ſe ipſam agit, quod à ſolis Salibus oritur.

Hinc ſingulis liquet, quod Calx lunæ per Salem præcipitata, & Calx ☉ per lixivium, nullam cum Mercurio habeant communionem, quî itaque talis Calx, quæ primùm ex plurimis terreſtribus partibus & metallis imperfectis vi

expulſa & ab illis ſeparata eſt , majorem communionem haberet, in digerendo intraret & ſe ei conjungeret ? Alia ideoque adhibenda ſunt conſilia , ubi volatile fixumque ☉, quod in ♂, ♃, ♄ aut ♀ deliteſcit , extrahere lubet, hinc plurimi fruſtra in ea inquirunt, quorum naturam ignorant , in tenebris ambulant , ut qui jam jam in foveam incidit.

Si autem tale menſtruum aut ſolvens noveris , quod Soli aut Lunæ adverſatur , & tamen ♂, ♃, ♀ & ♄ planè ſolvat , latens ſpirituale ☉ omnino corporaliter & viſibiliter apparebit, & in Magnetem Mercurialem tranſibit.

Debet quoque hoc ſolvens eâ naturâ eſſe, cum in ſolutione aut digeſtione imperfectorum Metallorum , ſpirituale & Volatile ☉ corporale efficit , & ſub ſpecie Pulveris per Antipathiam à ſe rejicit, ut pulvis hic nulla ſit cinctus cruſtâ , ut ſupra dictum , ſed ☽ æquè ac ☉ Calx , naturalem ſplendorem metallicum habeat , cui Mercurius adhæreat , & , quicquid ſolvens per continuam digeſtionem ſeparat, ſibi attrahat. Talem quoque ſolvens hoc habeat naturam , ut non tam acre ſit, quo Mercurium ſolvere queat , aliàs opus non procederet. Haud neceſſum ferme erat, quod in digeſtione, fixatione & ſeparatione volatilis ☉ Metallorum, Mercurius adhibeatur, ad ſpiri-

rituale & fixum ☉ recipiendum, ubi enim ſemel evacuatum eſt, nunquam impurum ſuum corpus rurſum occupabit; Eam tamen potiſſimum hoc fit ob cauſam, ut ſpirituale ☉ & ☽ in imperfectis Metallis libentius corporale fiat, cum commodum reperit ſubjectum, in quo deliteſcere & quieſcere poteſt. Hoc ſpirituale ☉ & ☽ Metallorum, iis quoque viribus prædictum eſt, quod Mercurii aliquam partem ☉ & ☽ tingat, cum jam intravit, quò majoris utilitatis ſit.

Hoc quoque ſciendum eſt, laborem hunc non ſolum in humidâ ſed etiam in ſiccâ viâ procedere, facilius tamen longè in humidâ, quam ſiccâ, in hac autem breviori ſpatio major utilitas elicitur. Sicut enim ad unam Lactis menſuram 1. 2. 3. aut 4. requiruntur Cochlearia Salis, quo Caſeus ab △ ſeparetur, Spiritu verò, qui rudi Sale fortior, ad unius Cochlearis quantitatem opus non eſt; Ita & ſe res cum operationibus metallicis habet: quò enim majus & potentius eſt agens ſive contrarium, eò citius & fortius operationes ſuas perficit, hinc ubi agens adhuc fortius agere debet, in ſiccâ viâ hoc fiat neceſſum eſt, ubi fortis ignis agenti vires addit, adeoque contrarium & citius ſeparatur. Exemplum ſumamus in lacte, cum 10 aut 20 guttæ Spiritus Salis frigidum lac ſeparant,

dimidia pars ſolummodo requiritur, cum lac coquitur, aut alio modo calefit. Ita & noſtrum agens, quo volatile ☉ in vilibus Metallis corporale & viſibile efficimus, in viâ ſiccâ longè operatur fortius, quam in humidâ, ubi externus ▽ noſtro opitulatur, & hinc tantò celerius operationem abſolvit, alius autem magnes in ſiccâ via aſſumi debet.

Huc uſque de particulari lotione vel externâ vilium Metallorum purgatione dixiſſe ſufficiat. De interna centrali, univerſali lotione, qua ☉ & ☽ interior anima ad tincturam extrahitur, nihil mihi adhucdum conſtat; neque tam abſtruſa ſcire deſidero, contentus ſum iis, quæ Deus mihi indigno ex gratia largitus eſt, ipſi ſi placuerit, mea aut alterius ope utilitati generis humani iis conſulere, etiam occaſionem arripiendi offeret, omnia enim bona à Deo derivantur.

Ad hunc autem actum requiritur ocularis inſpectio, tanta enim ex libris aut ſcriptis intelligi nequeunt: qui in iis excellere cupit, æquo ferat animo, quod me tanquam Magiſtrum frequenter audire hæcque elaborantem videre debeat, quod alias nunquam addiſcet, hoc enim opus vulgares Alchymiſtæ plane ignorant, imo antiqui Philoſophi, quo potuerunt maxime, tanquam ſecretum abdiderunt,

runt, quo Porcorum pedibus non conculcaretur. Quod autem ego hæc tam clarè proponam, ſecus ac ante me ullus unquam præſtitit, temporis ratio exigit, Deoque optimè conſtat, cur jam hæc divulganda tradat.

Quoniam in prædicto Tractatu Spiritualis ☉, quod ſimul cum corporali extraheretur, mentio facta eſt, & aliquis forſan ſcire vellet, quid ſub nomine Spiritualis Auri intelligendum ſit, haud abs re puto inſciis illa paulo fuſius explicare.

Omne ſpirituale eſt inviſibile & corporis palpabilis expers, ſin autem corpus ei tribuatur, in quo ſpiritus ille corporalis, & viſibilis fieri queat, Spiritus non amplius eſt Spiritus, ſed in corpus mutatus, ſi itaque Spiritus boni ſint, etiam bona efficiunt corpora & vice verſâ. Omnes a. Philoſophi volunt, Spiritum aut Animam in Ferro & Cupro nobiliorem eſſe quam in ipſiſſimo ☉ eò quod craſſum, terreſtre & impurum corpus ſit, cui inhabitat.

His ita ſe habentibus, mirum non eſt, ſi ſpiritus hi ab ejuſmodi craſſis corporibus arte & vi ſegregantur, expelluntur, aliiſque purioribus ſubjectis junguntur, bonum quid produci. Aſinum pelle leoninâ indutum nonne reliqua animalia tanquam Regem ſuum vene-

rarentur, hocque ſolum ob pellem, quamvis intus lateat aſinus. Si modo homo aliquis ſericis veſtibus ſit ornatus, quô pompoſe incedat, nonne ſinguli caput ipſi aperiunt & honorem exhibent, quamvis intus ſit fur aut nebulo? Sic è contrario, ſi probiſſimus & doctiſſimus quis laceratis veſtibus aut ſaltem vilibus incedat, an non à cunctis rejicitur, & vili habetur? Hinc ſatis ſuperque liquet, quàm ſiniſtre vulgus de omnibus judicet, & neglectis internis, tantummodo reſpiciat externa. Externa facies, prout bona aut mala, hominem quoque malum aut bonum, contemptum aut honoratum apud vulgum efficit, quamvis alias natura ejus ſibi vindicet proprietates. Idem intelligendum eſt de contemptis Metallis, Marte & Venere, quæ juxta omnium Philoſophorum effatum plus tincturæ habent, quam ipſum ☉, quæ tamen ob corporum groſſitiem rejiciuntur; quò meliori itaque modo nobilis hic Spiritus extrahitur & puris corporibus additur, eò meliora quoque producit.

Cum ergo craſſa Martis & Veneris Corpora artificioſe ſunt confracta, ſpirituſque ſolutus, & vi inde expellitur, aliud ſibi quærit corpus, in quo habitet & quieſcat. Ubi igitur craſſa corpora Martis, Veneris, Jovis aut Saturni arte turbamus, puram animam ſol-

ſolvimus, eamque propter Antipathiam ex impuris ædibus & contemptis veſtibus vi expellimus, eique purum Mercurium objicimus, hunc occupat, adeoque aliud nobilius adſumit corpus, quam antea habebat, quod tum ☉ & ☽ eſt, prout tractatur.

Hæc mea eſt ſententia, & eodem modo de Spirituali Auro res accipienda eſt.

Quid autem nobis cum Spirituali ☉ Metallorum hic negotii eſt? contenti ſimus corporali, & Philoſophis relinquamus ſpirituale, quo tincturam inde efficiant.

Quoniam autem eâ occaſione, qua modum corporalis ☉ extrahendi docui, ſpirituale intactum relinquere nequivi, ejus quoque aliqualis facta eſt mentio, cedet nonnullorum commodo, qui dum mentem meam non percipiunt, corporali contenti eſſe poſſunt. Quibus autem patulæ & arrectæ fuere aures, ut animadvertant, quem ad ſcopum collimem, illis doctrina mea plus quam ☉ aut ☽ proderit.

Unicum adhuc addendum. Solet aliquibus in locis ☉ & ☽ cum Mercurio in pulverem redigi, quo ſic corporale ☉ & ☽ à lapide ſeparari, extrahique queat, quod neutiquam novum aut inauditum eſt. Hoc rarius, Metallum quod ad debitam nondum pervenit maturitatem, ſed primo adhuc enti conjunctum, adeoque in-

ter liqueſcendum avolans, nec ☉ nec ☽ exhibet, ubi Mercurio, ſali & aceto commiſcetur, ſic ut aliquot diebus in ſe agant, fit ut Mercurius immaturum, ſpirituale ☉ & ☽ attrahat, idemque corporale fixumque reddat, ut liquefieri deinde queat. Quum itaque ſpirituale ☉ & ☽ tam facilè Mercurium intrat & corporale facit, multò adhuc facilius eſt, per meum modum, qui ope fortiſſimorum inſtrumentorum fit, quam per ſolum Mercurium. Sal & acetum, quibus Mercurio Metallum commiſcent, neutiquam tantum præſtare queunt, quantum ſecretum meum menſtruum, quod omnia penetrat.

Hinc ubi debitè materia, unà cum Sale & aceto, ope aquæ à Mercurio ſejuncta eſt, ☿ per corium tranſmittunt, qui rurſum ad eundem uſum aptus eſt; qui autem ☽ adhæret, ferreâ Retortâ inde ſeparatur, ſeparati pondus exploratur, quantum itaque ponderis Mercurio deceſſit, tantum ☽ accipiunt, quod animadverſione dignum eſt, & ulteriorem meretur indagationem, utpotè fruſtrà nequaquam appoſitum.

Pauca hæc, quæ hic adjeci, ne quis vilipendat, maxima enim in ſe continent myſteria, majoraque, quam maſuti aſini ſibi perſuadent.

Ne quoque quis putet, me artem hanc no-

nobiliſſimam, quæ clarè lucet in tenebris, cuivis advenæ ſtatim communicare velle, minimè gentium, Probis amicis, volente Deo, hæc oſtendam, ne mecum intereat, perpendam tamen tritum illud; *Fide, ſed cui Vide.*

Farneriani mihi ejus documentum exhibuerunt: plurimi ad me acceſſêre, miſerum ſtatum indicavêre, eo quod tum bello tum alio infortunio ſua amiſerint bona, meque per Dei miſericordiam, orarunt, ut communicatione alicujus operationis illis ſubvenirem ad ſuſtentanda vitæ humanæ onera, promittentes ſe ardentibus ad Deum precibus hoc remuneraturos. Hæc ſimiliaque verba me nonnunquam moverunt, ut uni aut alteri aliquid ſecreti dederim, viaticumque ſuperaddiderim, aliquibus tamen in id obligatis, ut in ſuum ſolummodo verterent uſum, neque aliis me inſcio communicarent, quod ſatis promiſêre. Ubi autem à me abierant, ſecreta hæc ſtatim aliis, & quod magis eſt inimicis meis vendiderunt, cum autem ex inſcitiâ operationem ritè inſtituere ignorarunt ſe artem hanc à me pretio emiſſe falsò adjiciebant, & in tantum eſſe deceptos, ubi tamen probe noverant, me puro affectu inductum hæc illis ſine remuneratione dediſſe. Hæc aliaque Farneri ἀντίδωρα me deterruerunt, in poſterum aliis aliquid com-

municare, quod cuilibet animadvertendum, ne literis aut acceſſu mihi moleſtiam creet.

Nihilominus tamen amicis Secretorum meorum copiam faciam, ne plane mecum pereant, aut inimicis meis & porcis projiciantur.

Quantum in me fuit præſtiti, neque plura præſtare omittam ubi gratum eſſe videro. Hinc, quò amicis inſerviam in Quartâ Proſperitatis Germanicæ parte de ſecretis Saturni agere volui & indicare, quo pacto quilibet, qui △ tractare novit, ſibi aliquot Ruſticos tributarios quærere poſſit, qui ſingulis hebdomadibus ſtatutum tributum ipſi perſolvunt. Exemplo Regum & Magnatum, qui ſervis ſuis fidelibus, bene de Patriâ contra hoſtes meritis, Regalia dona, uti integras urbes, vicos, pagos multoſque ſubditos hæreditario jure largiuntur, à quibus poſtmodum tributum exigere, unde lautè vivant, queunt.

Quò plures itaque nobili ſubſunt Ruſtici, eò ditior cenſetur, tributa n. ſolvunt.

Et quo plura Ruſticus ducit aratra, eò majora domino debet tributa, quod, tanquam juſtum, Politia inducit.

Eodem modo, quo hæc in Politicis uſu recepta ſunt, & in Alchymia ſe habent, ea quoque ubi aliquamdiu eidem fideliter ſubfuimus, Ruſticos tributarios, unde victum & amictum quærimus, redhoſtimenti loco tribuit.

Quò